PA
4291
.S6

DE

PLATONIS IDEARUM DOCTRINA

ATQUE

MENTIS HUMANAE NOTIONIBUS

COMMENTATIO

SCRIPSIT

PAULUS SHOREY.

MÜNCHEN.
THEODOR ACKERMANN
KÖNIGLICHER HOF-BUCHHÄNDLER.
1884.

Digitized by Google

The University of Chicago
Libraries

Cres cat Sci entia Vita Exco latur

The Papers of Paul Shorey are in the University of Chicago Archives, Dept. of Special Collections

63108

Digitized by Google

Digitized by Google

The University of Chicago
Libraries

Cres cat Sci entia Vita Exco latur

The Papers of Paul Shorey are in the University of Chicago Archives, Dept. of Special Collections

63108

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

THE UNIVERSITY OF CHICAGO LIBRARIES

DE PLATONIS IDEARUM DOCTRINA

ATQUE

MENTIS HUMANAE NOTIONIBUS

COMMENTATIO

SCRIPSIT

PAULUS SHOREY.

MÜNCHEN.
THEODOR ACKERMANN
KÖNIGLICHER HOF-BUCHHÄNDLER.
1884.

Digitized by Google

THE UNIVERSITY OF CHICAGO LIBRARIES

PA4291
.S6

Gr. cl.

Digitized by Google

928904

De Platonis idearum doctrina atque mentis humanae notionibus.

τῆς δὲ σοφίας τί σοι τὸ κεφάλαιον; αἱ ἰδέαι καὶ τὰ τῶν ὄντων παραδείγματα .... ποῦ δὲ ἑστᾶσιν; οὐδαμοῦ · εἰ γάρ που εἶεν, οὐκ ἂν εἶεν. (Lucianus Vit. auct. p. 657.)

Quaestiones de Platonis idearum doctrina plerumque ita instituerunt viri docti ut problematis philosophi nulla vel exigua ratione habita e locis Platonis de vocibus εἶδος et ἰδέα diligenter conquisitis subtiliterque excussis idearum naturam eruere conati sint. Nimirum qua via et ratione in rebus grammaticis vel historicis investigandis felici cum successu uti solent, ea in quaestionibus philosophis abutuntur. Quod cum faciunt, similiter, ut mihi quidem videtur, peccant ac si quis Ptolemaei doctrinam astronomicam investigaturus cyclos illos et epicyclos multa cum diligentia inter se comparet, de vera motuum caelestium theoria οὐδὲ γρὺ dicat. [1])

Et ille quidem fortasse sumere posset, lectores stellarum motus jam observasse et Copernici doctrinam cognitam habere. At qui de ideis disputat, ignorare non debet et de re ipsa vel de quaestione philosopha adhuc certare philosophos, et vocabula artis quibus quaestionem exponant omnia ambigua et ancipitia esse. Nam ut de ceteris vocibus taceam, quis nescit ipsum ideae vocabulum jam apud Platonem πολλαχῶς λεγόμενον fuisse neque idem in omnibus linguis recentioribus

---

1) Egregium talis epicyclorum inter se comparationis exemplum praebet liber doctissimus Peipersii, Ontologia Platonis. Lipsiae 1883, p. 1—237.

Digitized by Google

sonare, post Hegelium vero Protea factum esse vix ullo nodo tenendum.[1]

Quae cum ita sint, oportet eum, qui, ut cum Lucretio loquar, e tenebris tantis lumen clarum extollere velit, vocabulorum, quibus disputationes de his rebus plerumque continentur, significationes varias perspectas habere, eorumque ambiguitate neque ipsum ad fallendum abuti nec ut alii abutantur sinere; quaestionem autem, de qua agitur, per res notas et omnibus probatas ita explicare eum oportet, ut lectores, quantumvis in problematis solutione ab eo discedant, ipsum problema eodem atque ipse modo intellegere cogantur. Res igitur talis est: notionum[2] quae mentibus humanis insunt duo sunt genera, imagines[3] quaedam vel, ut ita dicam, effigies earum rerum quae sensibus subjectae sunt, et notiones[4] strictiore sensu dictae quae proprie notiones abstractae atque generales appellantur. Atque inesse quidem mentibus nostris notiones generales nemo jam negat, quales sint undeve habeamus valde dissentiunt philosophi. Sunt enim qui existiment eas nihil esse nisi imagines quasdam obscuras rerum adspectabilium multis et miris modis inter se et cum verbis per vim memoriae conjunctas. Aliis magis placet notiones omnem illas quidem veritatem atque significatum imaginibus rerum sensilium in mente sitis acceptum referre, sed separata mentis parte innasci atque peculiari mentis animique vi et facultate creari. Alii denique pro certo et explorato habent notiones, vel omnes vel aliquas, prorsus aliud genus esse, neque ullo modo e rerum sensilium imaginibus suspensas esse.

Et has quidem quaestiones de notionum indole atque ortu psychologicas voco; alterum est genus quaestionum quas graeca et ipsas voce ontologicas[4] appellare licet.

---

1) Quapropter Schopenhauerus, petulantius ille quidem, sed nescio an jure suo vocem illam appellat: „ein vornehmes Wort zum mystifizieren geschaffen".

2) Vorstellung. „Idea" quae laxiore sensu in lingua anglica post Lockium usurpatur.

3) Anschauliche Vorstellungen, „images".

4) Begriffe, conceptus, Concept, „abstract general idea".

5) Observandum est τὰ ὄντα et apud Platonem et apud Aristotelem primarie, ut cum barbaris loquar, nihil significare nisi omnia linguae

Digitized by Google

Nam cum quaeri possit de eo, quod extra mentes nostras per se constare et mentis notionibus respondere putandum sit, multi arbitrantur res adspectabiles quales nobis esse videantur tales extra mentes nostras revera esse. Contra alii res intelligibiles statuunt, vel species atque formas rerum extra mentes nostras vel per se vel in rebus individuis existere, notionibus menti humanae impressis prorsus similes. Alii denique unam aliquam rem vel notionem tamquam ens absolutum ponunt, veluti aquam, ignem, materiam, vim physicam, voluntatem, mentem, atque de necessitudine et conjunctione illius rei cum mentis notionibus varia proponunt. [1])

Tanta cum sit de notionum natura atque origine dissensio philosophorum, omnes tamen in eo consentiunt, quod notiones aliquid esse confitentur. Nam nisi verba [2]), quibus in sermonibus nostris utimur, aliquo saltem modo aliquid certi significant, nihil omnino disputare et concludere possumus. Illud, quidquid est, notio est. Logica igitur notionibus sumptis verborum vel notionum ὀρθὴν συμπλοκήν docet, notionum ortum atque indolem ontologiae et psychologiae investigandam re-

---

graecae vocabula, unde fit ut commentationes de Aristotelis vel Platonis ontologia quae feruntur plerumque meram logicam pro ontologia venditent. Duas omnino habet τὸ εἶναι significationes, copulae quam dicunt atque existendi, quibus respondent binae vocabulorum ὄντος, ὄντων significationes, entis relativi atque entis absoluti, quae contradictio in adjecto est. Qui haec justo discrimine tenere, et sub verbis diversis latitantia deprehendere non potest, is non ad Peipersii de his vocabulis investigationem (op. l. p. 1—237) operosam illam quidem atque doctam sed prorsus supervacaneam relegandus est, sed potius ad scholam logicam. Ceterum quod recentiores in universum in hac quaestione tantum negotii sibi facessunt, id propterea fieri censeo quod in lingua germanica participium 'seiend' cum infinitivo 'sein' arctissime cohaeret, et, sicut in lingua graeca fit, paene adjectivi partes agit.

1) Cohaerentiam quaestionis ontologicae cum quaestione psychologica ita exprimit Schopenhauerus: Das Denken hat zunächst bloss zum Anschauen ein Verhältniss, das Anschauen aber hat eines zum Seyn an sich des Angeschauten, und dieses letztere ist das grosse Problem, welches uns hier beschäftigt. W. als. W. und V. 4. Aufl. 2. Bd. p. 215.

2) Vix est quod moneam τὰ ῥήματα, certo quidem sensu, ὀνόματα esse, quod ab Aristotele observatum (αὐτὰ μὲν οὖν καθ' αὑτὰ λεγόμενα τὰ ῥήματα ὀνόματά τέ ἐστι καὶ σημαίνει τι. De interpret. III 6) tenendum est in interpretatione loci Platonici, Sophist. 261 D — 262 A.

Digitized by Google

linquit; quam distinctionem logicae et psychologiae atque ontologiae oportet semper ante oculos habeamus cum de notionibus quaestio est. Hoc autem philologi et philosophi nostrates saepenumero neglegunt. Nam plerumque qui verbum aliquod profert non solum rem verbo illo denotatam esse sumit, sed totam plane talem esse qualem ipse credit. Itaque qui de notionibus apud Platonem vel de Platonicis ideis disputant aut suam ipsorum de notionibus doctrinam vocabulo ideae ubique subiciunt, aut unam aliquam doctrinam ex paucis dialogis arreptam veluti normam accipiunt, ad quam omnia conformanda sint. Nec spero futurum esse ut discrimen quod constituo inter id quod quis notiones aliquid esse ponat, et id quod tales vel tales esse credat multis probem; nam probe scio omnes quibus sint certa placita ontologica et psychologica de notionibus contendere solere eos qui haec placita negent notiones omnino tollere. Si autem unquam concedunt posse quidem (v. c. in logica) de notionibus disputari omni opinione de notionum indole atque ortu remota, non tamen dant quod promittunt, sed semper ad ipsorum de notionibus doctrinam taciti relabuntur. Nihilominus cum mihi videatur omnis quaestio non solum de ideis Platonicis, verum etiam de Platonica et Aristotelica philosophia, ne dicam de omni philosophia, ex hoc discrimine pendere, hac commentatione mihi propositum est, primum, ut discrimen illud paucis illustrem, deinde ut illustratum ad quaestionem de ideis Platonicis explicandam adhibeam.

Et veteres quidem philosophos discrimen illud non prorsus latuisse testes mihi sunt Porphyrius et Aristoteles. Atque Porphyrius quidem quaestiones logicas de ideis vel notionibus a quaestionibus ontologicis distinguit, de quaestione psychologica silet. Nam dicit: περὶ γενῶν τε καὶ εἰδῶν τὸ μὲν εἴτε ὑφέστηκεν εἴτε καὶ ἐν μόναις ψιλαῖς ἐπινοίαις κεῖται . . . . παραιτήσομαι λέγειν βαθυτάτης οὔσης τῆς τοιαύτης ζητήσεως (εἰσαγωγή cap. I).

Scilicet de logica hoc est de arte notionum inter se rite conjungendarum disputaturus, numquid notionibus in mente sitis in rerum natura respondeat, qualeve id sit se quaesiturum negat; problema autem psychologicum, hoc est necessi-

tudinem inter notiones et ceteros mentis affectus omnino non respicit.

Aristoteles vero hoc quoque problema egregie distinxit. Nam in libro de anima (I 1, 12) tres opiniones proponit περὶ τοῦ νοεῖν: primam φαντασίαν τινά esse, alteram μὴ ἄνευ φαντασίας esse posse, tertiam ἴδιόν τι esse. Quam tamen opinionem ipse amplectatur neque hoc loco neque alibi plane declarat. Ipse enim anceps animi haerebat neque unquam plene sibi satisfecisse videtur. [1])

Quo factum est ut ejus metaphysica et commentatio de anima nihil sint nisi infinita series ἀπορημάτων de notionum [2]) natura tum ontologica tum psychologica. Quod qui nesciat necesse est saepe in illorum librorum interpretatione haereat. Sed hoc nihil ad nos. Illud quidem bene tenendum est: Aristotelem totam fere logicam suam ita absolvisse, ut has quaestiones vel prorsus neglegeret vel praesens in tempus omitteret. Quod ut fieret necesse erat principia quaedam vel ut cum ipso loquar ἀρχάς ponere, quorum duplex est genus: alterum notiones efficiunt vel potius logica notionum positio, qua sumitur notiones existere hoc est verba aliquid certi significare; id quod Aristoteles ita exprimit, ut dicat τὸ τί σημαίνει

1) Qui hoc negat, eum tum demum audiam cum hos locos inter se composuerit: de an. I 1, 13: εἰ δὲ ἔστι καὶ τοῦτο (sc. τὸ νοεῖν) φαντασία τις ἢ μὴ ἄνευ φαντασίας, οὐκ ἐνδέχοιτ᾽ ἂν οὐδὲ τοῦτο ἄνευ σώματος εἶναι, de an. III 8: ὅταν δὲ θεωρῇ ἀνάγκη ἅμα φάντασμα θεωρεῖν, de memoria I .... ὅτι νοεῖν οὐκ ἔστιν ἄνευ φαντάσματος. cf. An. post II in fine, de an. III 4: ὁ δὲ νοῦς χωριστός et passim, de an. III 4. 11: καὶ ὅλως ἄρα ὡς χωριστά τὰ πράγματα τῆς ὕλης, οὕτω καὶ τὰ περὶ τὸν νοῦν, de an. III 8, 3: ἐπεὶ δὲ οὐδὲ πρᾶγμα οὐδέν ἐστι παρὰ τὰ μεγέθη τὰ αἰσθητὰ κεχωρισμένον. Quid igitur? Nonne est locus dicendi: πότερον αἱρεῖ τῶν λόγων; quid quod sexcenti ejusmodi loci apud Aristotelem inveniri possunt, quos omnes laudare supersedeo.

2) Unam esse quaestionem de cogitandi vi (νοεῖν) et de notionibus atque definitionibus satis liquet ex ipsius verbis supra laudatis, de an. III 4. 11; cf. etiam ibid. III 7. 10 in fine. Hanc difficultatem nunquam expedivit Aristoteles. Nam doctrinam illam, quae in Analyt. post. II in fine exponi videtur, constanter defendere non potuit. Quodsi licet cum Carolo Prantl hoc capitulo (quod unus omnium recte intellexit) pro norma atque obrussa uti, atque in psychologia τὸν νοῦν χωριστόν, in ontologia τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον neglegere, concedo quae hac commentatione Aristoteli obiciantur omni carere fundamento.

Digitized by Google

vel τοὺς ὁρισμοὺς ἀρχὰς τῶν ἀποδείξεων εἶναι. Alterum autem logicorum principiorum genus in axiomatibus logicis consistit, quae Aristoteles ἀρχὰς ἐξ ὧν δεικνύουσι ἅπαντες appellat. [1])

Et de principiis (ἀρχαῖς) illis, ipse Aristoteles in metaphysicis, in commentatione de anima, in analyticis posterioribus fusius quam felicius disceptat. Qui tamen principia illa (τὰς ἀρχάς) vel omnino negant, vel in disputationibus de aliis rebus (logicis ethicis politicis) eorum rationem reposcunt, eos ἀπαιδεύτους [2]) vocat. Ac recte ille quidem; nam qui principia negat omnem rationem atque veritatem e sermonibus nostris tollit. [3]) Qui autem inopportune principiorum rationem reposcit, omnes quaestiones ad quaestiones ontologicas et psychologicas redigit, quas melius est seorsum tractare.

Quocirca nostra memoria quaestiones illae impeditiores separatim explorantur, neque omnia de rebus physicis ethicis politicis colloquia turbant. Adversario enim petitionem principii quam dicunt admittenti vel quid sit definitio ignoranti non ita respondemus, ut ei principia demonstrare et explicare

---

1) Neglego discrimen illud Aristotelicum inter res illas, de quibus in demonstrando τὸ εἶναι sumitur et illas res de quibus nonnisi τὸ τί σημαίνει ponitur (An. post. I 1. 4, I 10. 4.). Nam logicam et ontologiam misere confundit. Scilicet quamquam ideas Platonicas rejecit, sumpsit tamen Aristoteles τὸ γένος, quod hoc loco sensu οὐσίας (Wesensbegriff) usurpat, aliquid esse praeter cuncta τὰ καθ'αὑτὰ παθήματα τοῦ γένους vel τῆς οὐσίας. Quo factum est, ut in definitionis natura ontologica et psychologica explicanda frustra laboraret. Carolus Prantl (Gesch. der Logik I p. 125—127) logicam respiciens has difficultates jure suo neglegit. cf. tamen quae habet de Aristotelis, quem dixit, objectivismo p. 139 et 235.

Ceterum moneo me formula τὰς ἀρχάς exinde ad meram logicam omnium notionum positionem denotandam usurum esse. Nam τὰ ἀξιώματα nisi θέσιν διαφυλάττοντες in quaestionem non vocant. Ipse autem Aristoteles τὰ ἀξιώματα ex hac sumptione ἐλεγκτικῶς demonstrat. in met. Γ 4; cf. etiam met. Γ 8: αἰτεῖσθαι δεῖ . . . . οὐκ εἶναί τι ἢ μὴ εἶναι ἀλλὰ σημαίνειν τι. Quare hanc sumptionem jure dixeris τὴν ἀρχὴν κατ' ἐξοχήν. Cf. Plat. Euthydemus 287 C: τί σοι ἄλλο νοεῖ τοῦτο τὸ ῥῆμα. Sophist 243 C et 244 A: τί ποτε βούλεσθε ὁπόταν ὂν φθέγγησθε;.

1) Met. 1005^{b2}, 1006^{a6}, 1043^{b} et passim.

2) Met. Γ 4: μὴ σημαινόντων τῶν ὀνομάτων ἀνῄρηται τὸ διαλέγεσθαι πρὸς ἀλλήλους.

Digitized by Google

conemur, sed satis habemus illud Goethianum „primum omnium collegium logicum“ vociferari. Sed eo quo dialogi Platonici conscripti sunt tempore hoc facere non licebat. Nullumdum enim erat receptae doctrinae corpus, ad quod in sermonibus provocari posset. Itaque Platoni definitionem alicujus rei requirenti Sophistae [1]) obiciebant nullam esse definitionem, neque fieri posse ut quod nunc prorsus ignoramus id postea agnoscere possimus; eidem artem veritatis dialecticam constituenti Protagorae vel Heracliti discipuli νεανικώτεροι respondebant omnia aeque vera et falsa esse, res enim sensiles perpetuo ferri flumine neque unquam in eodem manere.

Quae cavillationes non aliter plane dissolvi potuerunt nisi natura atque indole tum rei cognitae tum ipsius cognitionis penitus perspecta et exposita. Nam quomodo fieri possit, ut vocabula, quibus in ratiocinando utimur, certi quid significent, cum res adspectabiles, ad quas vocabula illa quodammodo referantur necesse est, omnes fluxae atque incertae esse videantur, is demum intellegere potest, qui omnes quaestiones tum psychologicas tum ontologicas de natura notionum atque cognitionis perspectas et expeditas habeat. Alioquin aut de omni veritate logica et dialectica desperemus necesse est, aut talem veritatem sermonibus nostris inesse usu quodam et, ut ita dicam, ex necessitate credamus. Hoc plerique nostrates faciunt, illud haud pauci Platonis aequales faciebant. Ad quorum dubitationes atque cavillationes explanandas vel saltem ἐλεγκτικῶς refutandas tota, ut ita dicam, Platonica philosophia spectat. [2])

Unde manifestum est neque illam idearum doctrinam neque ullam doctrinam particularem apud Platonem praecipuum locum obtinuisse et quasi fontem et originem omnium placitorum Platonicorum fuisse, sed potius et illam doctrinam et omnia placita singula a necessitate dubitationes illas τῶν μισο-

1) τὴν τοῦ Γρωτέου διαίρεσιν τῶν ὀνομάτων παραιτοῦμαι. Vocem Sophistae ad significandum quoddam genus argumentandi apud Platonem frequentatum usurpo. Quaestionem historicam aliud agens non curo.

2) Hoc potius sentiendum est ex familiaritate cum Platone contracta, quam disertis verbis demonstrandum. Monere licet Platonem saepe de aliis rebus omnibus dubitavisse, nunquam tamen ὡς χρὴ φιλοσοφεῖν καὶ ἀρετῆς ἐπιμελεῖσθαι Euthyd. 275 A. cf. Phaedon. cap. XXXIX. XL et infra p. 22 n. 1.

Digitized by Google

λόγων refellendi viamque veritatis dialecticam inveniendi originem traxisse. Quapropter quaestionem de ideis Platonicis non ita instituere debemus, ut quaeramus ἁπλῶς quid sit idea Platonica, tamquam una aliqua bestia sit in dialogorum fruticetis indaganda, sed potius anquirendum est, quae problemata Platoni solvenda proposita fuerint et quatenus ab illo soluta sint.

Et summum quidem problema in cavillationibus τῶν μισολόγων vel explanandis vel refutandis praecipue versari jam supra diximus. Ad quas certo quodam tempore ita respondit Plato, ut diceret notiones, hoc est res certas verbis insignitas, ideas esse, ideas autem entia absoluta esse temporis atque spatii expertia, quae nobis visione quadam intelligibili in vita priore, in hac vita arte dialectica innotescerent. Aliis tamen locis ipse hanc doctrinam in dubium vocasse videtur. Nam in Parmenide non solum illam Platonicam idearum doctrinam sub examen revocavit, sed omnino omnes quae proponi possunt de ideis doctrinas ontologicas redarguisse videtur. In Theaeteto autem explicationem psychologicam cognitionis atque erroris frustra quaesivit. Quapropter cum dubitationes illas de principiis (ἀρχαῖς) nullo modo dissolvere posset, saltem ne sermonibus de aliis rebus amplius obessent efficere conatus est. [1]) Qua in re non aliter versatus est quam Aristoteles qui ἀρχὰς ponebat atque eos qui illas negabant ἀπαιδεύτους vocabat. Plato enim notiones logicas sumsit [2]) et ὁδὸν τινὰ καλλίω ἐπὶ τὸν λόγον inivit. Qui autem has sumptiones negabant vel de eis in contrarias partes subtiliter disputabant, ἀντιλογικοὺς vel σφόδρα νέους vel denique ὀψιμαθεῖς appellavit.

Interdum tamen via apagogica eos aggressus est. Aut enim ipse de principiis in utramque partem tam argute disputat [3]), ut hanc viam et rationem in ratiocinando prorsus

---

1) Sopist. 251 A: τὸν γοῦν λόγον ὅπῃ περ ἂν οἷοί τε ὦμεν εὐπρεπέστατα διαθησόμεθα .....

Phil. 16 A: εἴ τις τρόπος ἔστι καὶ μηχανὴ τὴν μὲν τοιαύτην ταραχὴν ἡμῖν ἔξω τοῦ λόγου εὐμενῶς πῶς ἀπελθεῖν. κτλ.

2) Nam agitur de τοῖς ἀεὶ λεγομένοις εἶναι Phil. 16 C. Sumitur autem δεῖν ..... ἀεὶ μίαν ἰδέαν περὶ παντὸς ἑκάστοτε θεμένους ζητεῖν, εὑρήσειν γὰρ ἐνοῦσαν.

3) In Parmenide.

Digitized by Google

futilem [1]) esse demonstret, aut ex placitis τῶν ἀντιλογικῶν subtiliter concludit ipsos omnino loqui et disserere non debere. [2]) Quae argumenta appellare licet argumenta ex necessitate. Ita enim sunt comparata, ut contradictiones, quarum explicationem psychologicam nullam habet, ἐλεγκτικῶς et ex necessitate diluat. [3]) Itaque voces εἶδος et ἰδέα apud Platonem modo significant notiones esse revera παραδείγματα χωριστὰ rerum sensilium recordatione (ἀναμνήσει) nobis cognita, modo notiones tantum ponunt, quae qualesve sint in medio relinquunt. Verum cum semper eisdem vocabulis philosophus usus sit, viri docti ubi de ideis agitur aut eam doctrinam ontologicam, quae proprie Platonica [4]) esse videtur, semper intellexerunt, aut aliam quandem doctrinam ex uno aliquo dialogo depromptam effinxerunt et pro genuina Platonis philosophia venditaverunt. Quod duabus de causis mirum videri non debet. Primum quia Plato ipse cum se notiones logicas ex sola necessitate posuisse neque earum indolem originemve psychologicam explicasse oblitus esset, saepe in illam doctrinam ontologicam tecte relabitur. Deinde nullum nostrae linguae suppeditant vocabulum, quo simul notionum positionem et ἐποχὴν de notionum natura exprimere possimus. Nam qui adseverat notiones vel ideas meras mentis humanae notiones esse vel tale quid, jam sumere videtur notiones μὴ ἄνευ φαντασίας esse posse, vel saltem nullam habere veritatem externam.

Inde orta est illa de Platonis ideis controversia. Nam cum in Parmenide suam ipsius de ideis doctrinam mirifice impugnet, et tamen in ceteris dialogis de ideis loquatur, discrepantiae illius tollendae causa viri docti multa et ἀλλόκοτα in medium attulerunt.

Sunt enim qui praefracte negent rationes Platonicas argu-

---

1) σφόδρα τοῖς λόγοις ἐμπόδια Phileb. 14 D.

2) Theaetet. 183 B: ὡς νῦν γε πρὸς τὴν αὐτῶν ὑπόθεσιν οὐκ ἔχουσι ῥήματα, εἰ μὴ ἄρα τὸ οὐδ' ὅπως. cf. 179 E — 180 A, Sophist. 252 C Euthyd. 286 C. 288 A. 303 E.

3) Nam quod eas appellat (Phil. 15 D) τῶν λόγων αὐτῶν ἀθάνατον καὶ ἀγήρων πάθος ἐν ἡμῖν, id quidem verissimum est sed brevius dictum quam ut pro explicatione plena habeatur.

4) cf. infra p. 28 n. 3.

Digitized by Google

mentis in Parmenide expromptis omnino convelli.[1]) Alii contendunt Platonem ad ea quae in Parmenide ideis objecta sunt respondere et potuisse et revera fecisse. Aliis denique placet Platonem idearum doctrinam postea ita refinxisse, ut his scrupulis atque dubitationibus amplius obnoxia non esset.[2]) Sunt etiam qui negent contradictiones illas ullo modo dissolvi posse, quorum duces sunt Groteus[3]) et Zellerus, omnium qui de Platone bene meriti sunt facile principes. Et Groteus quidem facili negotio rem expedit. Arbitratur enim Platonem utpote minime δογματικὸν aliter aliis temporibus sensisse, et prout quoque tempore sentiret disputavisse.[4]) Unde consequitur Platonem potius Dionysodoro suo similem fuisse, qui de eis quae πέρυσιν dixisset se rationem reddere debere negaret (Euthyd. 287 B), quam Socrati, qui de eisdem eadem semper diceret. Verum quemvis librum jure tuo dixeris nihil nisi opiniones, quas ejus scriptor tum temporis concepisset cum conscriptus est, reddere et depingere. Sed magnorum virorum

---

1) Hi (v. c. Stallbaumius Proleg. in Parmen. et Apelt, Untersuchungen über den Parmen. des Platon, Weimar 1879) Schleiermacheri conjecturam (ad Sophist. p. 429) probantes multi sunt de Megaricis, immemores illi Platonis dicti: πάντως (γὰρ) οὐ τοῦτο σκεπτέον ὅστις αὐτὸ εἶπεν. Charm. 161 C. cf. de Repub. p. 500 B: καὶ ἀεὶ περὶ ἀνθρώπων τοὺς λόγους ποιουμένους, ἥκιστα φιλοσοφίᾳ πρέπον ποιοῦντας. cf. Zeller, Phil. der Griech. 1874 II, p. 214 sqq.

Doctorum virorum de Parmenide sententias collegerunt et in ordinem tripartitum distribuerunt Zellerus (Plat. Stud. p. 139 sqq.) et Susemihlius (Plat. Phil. Leipzig 1855 vol. I p. 353) quos compilare non libet. cf. quae infra disputavimus, et Stallb. Proleg. in Parmen. p. 236 sqq., et Ribbing, Genet. Darstellung d. Plat. Ideenlehre I 234—247.

2) Strumpell, Gesch. d. Gr. Phil. 96, 3.

3) II p. 293.

4) cf. vol. II p. 297. He had tied a knot so complicated that he could not himself untie it. I speak of the State of Plato's mind when he wrote the Parmenides.

Non tamen debebant recentiores Germani Groteum cum supercilio neglegere. Nam quamquam dialogorum inter se conjunctionem atque necessitudinem parum respexit, ipsas quaestiones metaphysicas in eis tractatas admirabili mentis acumine enodavit. Quod autem ad quaestionem historicam de dialogorum ordine serieque atque fide attinet, inter Schleiermacheros, Socheros Munkios — οἷος πέπνυται, ταὶ δὲ σκιαὶ ἀίσσουσιν.

Digitized by Google

dicta et doctrinae vel maxime discrepantes aliqua tamen necessitudine et ratione vel historica vel logica inter se cohaerent. Quas rationes exquirere critici officium est.

Zellerus autem ipse in crimen inconstantiae incidit. Nam quamquam Platonis idearum doctrinam contradictiones inenodabiles in se habere confitetur, in Parmenide tamen vult illam doctrinam non labefactari, sed potius contra errores maligne eam accipientium atque cavillationes sophistarum defendi.[1]) Contradictionem autem, quam Platonis doctrinae inesse non negat, ita exprimit, ut nullam rerum sensilium ex ideis deductionem apud Platonem inveniri posse dicat. Cujus dicti intimam et penitiorem significationem cognoscere solis Hegelianis concessum est: οὐ μὴν ἀλλ' ὑποπτεύω γε.[2])

Jam igitur, cum in tanta doctorum virorum dissensione opiniones atque argumenta omnium percensere ingentis operis esset, sententiam meam, qualem supra adumbravi, ex ipso Platone copiosius illustrare visum est.

De idearum origine.

Consilio fundamenta artis logicae jaciendi et cavillationes sophistarum devitandi ad ideas vel ad idearum doctrinas particulares per tres potissimum vias Plato deductus est: per definitionum indagationem, per quaestionem de veris causis, denique per quaestionem psychologicam de cognitionis atque scientiae ortu et indole. His non addam quaestionem de animae immortalitate, siquidem rectius Platonem ideas ad illam doctrinam demonstrandam adhibuisse dixeris quam eas ex illa hausisse.

Nec me fallit tales divisiones sive tripartitas sive quadripartitas omnes artificiosas esse et ad scriptoris arbitrium fictas.

---

1) Plat. Stud. pp. 180—182.

2) Non nego repugnantias Platonicae philosophiae insitas hac formula quodam modo exprimi posse εἴ τις χαίρει οὕτως ὀνομάζων. Sed si res sensiles ex notionibus vel ex ideis vel ex idea singulari numero usurpata deduci vel extrahi vel adeo ipsae sponte profluere possunt δίκαιός ἐστιν Zellerus nobis ista arcana aperire. Si autem illa loquendi formula contradictio in adjecto est et portentosum ὕστερον πρότερον, perspicacius in re per se satis impedita loquendum est.

Digitized by Google

Una enim quaestio agitur de notionum natura, nec si ipsam rem spectamus, est cur eam potius in tres quam in quattuor vel quinque partes dispescamus. Aliqua tamen partitione ad perspicue scribendum opus est; revera autem quaestionem de notionibus his potissimum tribus modis Platonis menti se obtulisse paullo post perspicuum fore spero.

Ac de ortu quidem idearum doctrinae e definitionum indagatione non est cur multa disseramus. Res enim valde est elementaria et jam a multis ubertim illustrata. Qui veritatem dialecticam requirit definitiones vel quaerat vel sumat necesse est. Nam ἀρχὴ πάσης ζητήσεως τὸ τί σημαίνει. Qui autem multum in definitionibus investigandis versatur facile sumit omnem definitionem ἕν τι τῶν ὄντων esse (Phaedr. 263 E).[1] Inde licet necessario exoriatur quaestio quid qualeve sit et quomodo nobis cognitum fiat, non tamen potest plane dijudicari cum de definitionibus apud Platonem agitur, utrum voces εἶδος et ἰδέα ad aliquam doctrinam psychologicam de notionibus referri debeant an nihil nisi notiones logicas vel species et genera rerum significent, quaestione de notionum indole vel nondum orta, vel neglecta vel denique pro desperata relicta. Nam exempli gratia in Euthyphrone[2] valde probabile est quaestionem illam nondum exortam esse; in Philebo Plato quaestionem utpote inenodabilem deliberato consilio τοῖς νέοις relinquit;[3] aliis denique locis in logicam vel in alias res intentus eam non respicit.[4]

---

1) Aristot. Met. I 6: ὑπέλαβεν (sc. Πλάτων) ὡς περὶ ἑτέρων τοὺς ὁρισμοὺς τούτους γινομένους καὶ οὐ περὶ τῶν αἰσθητῶν τινος. cf. Plat. Parmen. 132 A; De Repub. 596 A: εἶδος γάρ πού τι ἓν ἕκαστον εἰώθαμεν τίθεσθαι περὶ ἕκαστα τὰ πολλά οἷς ταὐτὸν ὄνομα ἐπιφέρομεν; Parmen. 147 E: ἐπ' ἐκείνῃ τῇ φύσει αὐτὸ (sc. vox ἕτερον) ἀεὶ λέγομεν ἧσπερ ἦν τοὔνομα.

2) 6 D.

3) δὶς ἢ τρὶς τὰ ἀληθῆ. Iterum atque iterum monendum est quaestionem εἴ τινας δεῖ τοιαύτας εἶναι μονάδας ὑπολαμβάνειν (15 B) ἀληθῶς οὔσας inter eas referri difficultates, quas Socrates ἔξω τοῦ λόγου εὐμενῶς πῶς ἀπελθεῖν facit. Qui hanc Philebi partem neglegit vel in ejus interpretatione novas idearum doctrinas hariolatur semper in Platonis dialogis plane hospes erit.

4) Phaedr. 263 B, 265 B, 266 A, 271 D, Symp. 205 D, Polit. 203 B. Quo ultimo loco abutitur Zellerus ad demonstrandum in philosophiae Platonicae enarratione Hegelice loqui licere. (Op. l. 1874 II 1. p. 584.)

Digitized by Google

Transeo ad quaestionem de causis. Secundum et Platonem et Aristotelem tum demum proprie scire videmur cum per causas scimus. [1]) Causa autem vocabulum πολλαχῶς λεγόμενον est. Cujus vocis significationes varias post Aristotelem multi bene descripserunt, omnium tamen perspicacissime, qua erat admirabili mentis sagacitate, Arthurius Schopenhauerus. [2])

Nobis hoc loco animadvertisse satis erit causam sciendi quam dicit Schopenhauerus omnia causarum genera quodammodo complecti. Nam causas physicas sine verborum et notionum ope ipsis oculis et mente perceptiva, [3]) ut ita dicam, cognoscere possumus, sed ut de eis disputare atque libros philosophos componere possimus, verba et notiones generales adhibeamus necesse est. Quo facto notiones latissime patentes notionum minus generalium causae esse videntur, hae deinceps rerum individuarum atque eis cognominum (συνωνόμων). Idem fit in causis teleologicis et in omnibus causarum generibus quae distinxerunt philosophi. Quo fit ut etiam nostra aetate permulti causas sciendi cum aliis causis permutent; qua in re minime falluntur, modo semper in notionibus versentur nec unquam ad ses sensibiles descendant. [4]) Plato vero, cum causae physicae temporibus illis nondum accurate pervestigatae essent, [5]) ipse autem causas teleologicas vel finales ad omnia explicanda

---

1) Plato. Meno 98 A. Gorg. 465 A. Aristot. An. post. II 10, 1. Metaphys. passim.

2) Ueber die vierfache Wurzel des Satzes von zureichendem Grunde. Frankfurt 1847.

3) Verstand sensu Schopenhaueriano, non Kantiano, id quod Carolus Prantl verbis non re a Schopenhauero dissentiens appellat: Die Mitwirkung einer Auffassungsweise, welche den Thieren gleichsam in embryonaler Form innewohnt, beim Menschen aber sich zum menschlichen Denken gesteigert entwickelt. Sitzungsb. d. k. b. Akad. 1883, p. 118.

4) Quam facile ipsa sermonis humani consuetudine ducente in hunc errorem dilabamur verba Aristotelis ostendunt enunciationes αἴτια τοῦ συμπεράσματος appellantis. cf. etiam Met. Δ 18: τοῦ γὰρ ἀνθρώπου πολλὰ αἴτια, τὸ ζῶον, τὸ δίπουν. et An. post. 188 a5: τίμιον τὸ καθόλου ὅτι δηλοῖ τὴν αἰτίαν. Scilicet illa αἴτια τοῦ συμπεράσματος notiones generales sunt quae in Menone opiniones veras αἰτίας λογισμῷ veluti catenis vinciunt.

5) Phaedo. p. 96 A. B. C. cf. τελευτῶν οὕτως ἐμαυτῷ ἔδοξα πρὸς ταύτην τὴν σκέψιν ἀφυὴς εἶναι ὡς οὐδὲν χρῆμα.

Digitized by Google

adhibere non satis posse sibi visus sit,[1]) totum se ad causas sciendi contulit[2]) et notiones (ideas) omnium rerum, h. e. revera omnium praedicatorum[3]) causas[4]) esse adfirmavit[5]). Id quod logice si interpreteris quodammodo verum esse jam supra monui; aliter si intelligis nihil est nisi doctrina ontologica qua notiones pro ente absoluto ponuntur. Utrolibet autem sensu accepta enunciatio illa praeter notiones alias causas omnes excludit. Sive enim notiones ut meras rerum notas pro veris causis in sermonibus nostris ponimus, non licet in eisdem sermonibus per aliam verborum conjunctionem de rebus sensilibus ipsis ut de causis loqui; sive notiones revera entia χωριστά sunt et omnium rerum causae, non debemus aliam eis causam moventem praeficere. Nam hoc facto notiones, ut cum Platone loquar, ξυναιτίων tantum partes agent.

Quapropter Aristoteles Demiurgum illum Platonicum cum supercilio repudians[6]), Platonem duas tantum causas, materialem et formalem, cognovisse pronuntiat, ideas autem utpote meras causas formales, fiendi causas existere posse praefracte negat[7])

Plato vero nonnisi in parte logica et dialectica philosophiae ideas solas rerum causas praedicat. In Timaeo autem ad res sensibiles explicandas et causam moventem et causam finalem adhibuit[8]).

---

1) Quod fugit Auffarthium (Plat. Ideen 78) qui novam Platonis methodum in Phaedone expositam „eine durch Zweckursachen die Welt erklärende“ appellat. cf. Phaedo p. 99 D. Plato vero in Timaeo demum hoc negotium suscepit.

2) 99 e. ἔδοξε δή μοι χρῆναι εἰς τοὺς λόγους καταφυγόντα ἐν ἐκείνοις σκοπεῖν τῶν ὄντων τὴν ἀλήθειαν. cf. Parmen. 130 D: ἐκεῖσε δ'οὖν ἀφικόμενος εἰς ἃ νῦν δὴ ἐλέγομεν εἴδη ἔχειν περὶ ἐκεῖνα πραγματευόμενος διατρίβω.

3) Da jedes Prädicat selbst wieder als Wort eine Idee ist. Prantelius, Uebersicht d. griech.-röm. Phil. p. 90.

4) αἰτίαν καὶ ἀρχὴν τοῦ ἕκαστον εἶναι τοιοῦτον οἷα ἐστὶν αὐτή. Arius Didymus apud Diels Doxographi graeci p. 447.

5) Phaedo. 100 D.

6) Met. A 7: τί γάρ ἐστι τὸ ἐργαζόμενον πρὸς τὰς ἰδέας ἀποβλέπον; cui Plato jure suo reponere potuisset: τί γάρ ἐστι τὸ τὸν πρῶτον οὐρανὸν κινοῦν σῶμα ὄντα σῶμα οὐκ ὄν; Theophrastus vero duas causas quas Platoni tribuit materialem atque moventem appellat.

7) cf. De gen. et corr. II 9, 335 $^{b 10}$; Met. A 991 $^{b 3}$.

8) Causa movens est ille Demiurgus qui Aristotelis πρώτῳ κινοῦντι

Digitized by Google

Quod ut fieret, coactus est aliquam certam vim ontologicam ideis tribuere. Quamdiu enim in meris notionibus consistimus, ἡ παρουσία τῶν ἰδεῶν omnium rerum causa ἀσφαλῶς [1]) dici potest. Quodsi logicae fines egredientes rerum individuarum explicationem quaerimus, necesse est ut diserte explanemus quae sit idearum natura atque indoles at quomodo ideae rebus sensilibus sese insinuent. Quod Plato ita fecit, ut ideas diceret παραδείγματα χωριστά esse, ad quorum similitudinem Demiurgus ille mundum et omnia quae in eo essent effinxerit. Cum tamen probe sciret opinionem hanc multis obnoxiam esse dubitationibus, iterum atque iterum lectorem monuit totum Timaeum fabellam probabilem (εἰκότα μῦθον 28 D) esse.

Tertius veluti fons idearum apud Platonem quaestio de cognitionis vel scientiae natura atque origine est. Quam quaestionem cum problemate sophistarum dubitationes redarguendi et per se et apud Platonem arctissime cohaerere jam supra demonstratum est. Quaestio autem haec per dialogos Platonis hunc fere in modum distributa est:

In Menone doctrina proprie Platonica de idearum recordatione introducitur veluti Deus ex machina ad cavillationes istas diluendas. In Theaeteto easdem difficultates plena cognitionis explicatione amoliri philosophus frustra laborat. In Sophista denique fallacias illas, omni doctrina psychologica remota, via et ratione mere logica aggressus est et argumentis ex necessitate ductis plene profligavit. A Menone igitur nos initium facere oportet.

Socrati definitionem virtutis requirenti obicit Meno talis rei indagationem prorsus futilem esse: quod enim quis jam sciat, id quaerere supererogationis esse; quod vero omnino nesciat, inventum non agniturum. [2]) Quod argumentum duplex est. Complectitur enim fallaciam logicam et problema psycho-

---

plane respondet. Quod ad causam finalem attinet verba: Λέγωμεν δὴ δι'ἥντινα αἰτίαν γένεσιν καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν. ἀγαθὸς ἦν, idem significant quod Aristotelicum dictum κινεῖ δ' ὡς ἐρώμενον.

1) Phaedo. 100 D. τοῦτο γάρ μοι δοκεῖ ἀσφαλέστατον εἶναι καὶ ἐμαυτῷ ἀποκρίνασθαι καὶ ἄλλῳ. cf. 105 C, Tim. 49 D.

2) Meno 80 E. sqq.

Digitized by Google

logicum, quod cum Platonem minime fugisset, ejus vituperatores latuisse videtur. Fallacia logica in diversis vocabuli τοῦ εἰδέναι significationibus latet; problema vero psychologicum hoc est: quid est primum cognitum et quanam necessitudine cum ceteris cognitionibus nostris conjungitur. Et ambiguitatem vocis τοῦ εἰδέναι egregie illustravit Plato in Euthydemo (p. 276 D); eodem pertinet etiam illud discrimen inter ἐπιστήμης ἕξιν et ἐπιστήμης κτῆσιν in Theaeteto. Minime igitur putandum est Platonem, modo voluisset, non potuisse eandem hanc explicationem ad illum ἐριστικὸν λόγον convellendum adhibere. Verum enim vero perspicue intellexit sophisma logicum verborum discrimine dissolvi posse, quaestionem autem philosopham subtiliorem explicationem requirere. Quod Aristotelem fefellit, qui (An. post. I 1, 7) τὸ ἐν τῷ Μένωνι ἀπόρημα eadem verborum discriminatione diluit, qua Plato in Euthydemo usus est.

Nec aliter Themistius (Paraphras. ad loc.), qui postquam difficultatem distinctione inter γνωρίζειν et μανθάνειν facta solvit haec addit: πρὸς δὲ τοῦτον τὸν λόγον μᾶλλον δὲ τὸ σόφισμα τοῦτο Πλάτων μὲν ἔοικεν ἐνδιδόναι. Quod quam inique in Platonem dictum sit nemo non videt. Sophisma enim Plato eodem atque Aristoteles modo solvit. Quaestio autem subtilior, cujus gratia doctrina ἀναμνήσεως profertur, eadem est, quam Aristoteles per totam Metaphysicen se ipsum et lectores misere torquens numquam ad liquidum perducere potuit. Verum paucorum est eadem problemata sub verbis diversis latitantia deprehendere.

Recentiorum Groteus, quo erat mentis acumine, quaestionem philosopham in Menonis sophismate latens intellexit, sophisma ipsum alio loco a Platone explicatum esse non animadvertit. Nam paullo iniquior Platonis censor erat, ceteroquin interpres praeclarissimus. Itaque Sophistis more suo patrocinatus, bene meritos eos de philosophia praedicat qui talem quaestionem primi moverint! Quod contra Stallbaumius, ad fallaciam logicam magis respiciens, argumentum Menonis „quaestiunculam haud dubie ex Sophistarum disciplina arreptam“ nuncupat. Verum utrum Sophistae de philosophia bene meriti sint necne, nihil ad nos. Illud vero probe tenendum est, Platonem in Menone doctrinam recordationis in medium attulisse ad explicandam vel potius ad evitandam difficultatem illam de cognitionis origine. Doctrinam illam tamen nihil nisi machinam

Digitized by Google

quandam esse ad cavillationem Menonis refellendam neque ipsi plane satisfacere haud obscure significavit philosophus: καὶ τὰ μέν γε ἄλλα οὐκ ἂν πάνυ ὑπὲρ τοῦ λόγου διισχυρισαίμην κτλ. 86 B.[1])

Quapropter in Theaeteto eandem quaestionem tractavit nulla recordationis mentione facta. Nam difficultatem primariam in Theaeteto eandem esse atque cavillationem Menonis nemo negabit, qui rem paullo accuratius consideraverit. Plena cognitionis definitio quaeritur. Quam non inventam esse non est cur miremur. Cum enim omnis definitio per verba fiat, quae ad res quasdam cognitas referantur, definitio cognitionis in circulum incidat necesse est.[2]) Vera quaestio igitur non est de cognitionis definitione, sed de primo cognito, vel de variis cognitionis generibus eorumque inter se necessitudine.

Haec quaestio in Theaeteto quidem disputatione de psychologica[3]) erroris explicatione praecipue continetur. Explicatio autem haeret in difficultate quae Menonis ἐριστικῷ λόγῳ prorsus respondet. Quae enim nescimus (aiunt Sophistae) de eis omnino opinari non possumus; quae autem scimus, de eis recte

1) Idearum in Menone nulla fit diserta mentio, nisi ubi de definitione agitur, 72 C. Recordationem illam tamen ad ideas pertinere e loco Phaedonis (72 E sqq.) satis liquet. Alia ἀναμνήσεως explicatio in Philebo (34 B) invenitur ubi Plato de ideis non cogitat. Cautius loquitur philosophus in Politico (278 C D): εἰ ταὐτὸν τοῦτο ἡμῶν ἡ ψυχὴ φύσει περὶ τὰ τῶν πάντων στοιχεῖα πεπονθυῖα κτλ. Cum voce φύσει huius loci cf. Ar. An. post. II in fine. δύναμιν σύμφυτον κριτικήν, et ibidem ἡ δὲ ψυχὴ ὑπάρχει τοιαύτη οὖσα οἵα δύνασθαι τοῦτο πάσχειν. στοιχεῖα illa ideas esse nequaquam constat. Immo ex παραδείγματι στοιχείων et συλλάβων praecedenti contrarium magis fit verisimile. cf. Theaetet. 203 E.

2) cf. Trendelenburg, Logische Untersuchungen pp. 103—104: Man würde es (das Denken) nur durch einen Bezug zu den Dingen erläutern können, welche in dem Denken Grund und Mass finden.

3) Hoc verbum toties repetitum lectori fastidium offerre suspicor; sed accurate loquendum est in disputatione philosopha. Problema Theaeteti est: εἰπεῖν τί ποτ᾽ ἐστί τοῦτο τὸ πάθος παρ᾽ ἡμῖν καὶ τίνα τρόπον ἐγγιγνόμενον (187 D), Sophistae vero: τοῦτο (esse errorem) φθεγξάμενον ἐναντιολογίᾳ μὴ συνέχεσθαι (236 E). Alterum psychologicum est, logicum alterum. Talia si accuratius respexisset Groteus, Platonem inconstantiae non fuisset insimulaturus quod cavillationem de non-ente in Theaeteto Sophista Cratylo diverse tractavit. (Grote Plato II 549 sqq.)

Digitized by Google

opinemur necesse est. Quod genus argumentandi illi ἐριστικῷ λόγῳ prorsus simile esse nemo non videt. Etenim per fallacias logicas ex ambiguitate vocis sciendi repetitas quaestio de cognitionis inceptione proponitur. Nam ita demum fallaciam illam plene explicare poterimus, si cognitionem aliquo modo incipere sumpserimus, ut discrimen constituere possimus inter duas significationes vocabuli εἰδέναι: videlicet cognitionem acquirendi et cognitionem habendi.

Et primum quidem Plato pro concesso ponit cognitionem incipere posse [1]) atque tecte sumit [2]) rerum sensibilium perceptionem cognitionem (non dico cognitionis definitionem) esse. Qua sumptione difficultatem facile tollit et errorem explicat. Duas enim ponit cognitionis species: perceptionem rerum sensilium et διάνοιαν; errorem dicit ἐν τῇ συνάψει αἰσθήσεως πρὸς διάνοιαν sedem suam habere. Postea vero subit quaestio de errore ἐν αὐτοῖς τοῖς διανοήμασιν, quam illa explicatione non dilui perspicuum est. Itaque distinctionem quam ἔργῳ constituerat inter ἐπιστήμης ἕξιν et ἐπιστήμης κτῆσιν nunc λόγῳ constituere conatur. Frustra; nam cum antea duo cognitionis genera habuisset διάνοιαν atque rerum sensilium perceptionem, nunc unum tantum διανοημάτων habet. Sumit enim omnia διανοήματα menti jam inesse neque ullam doctrinam psychologicam περὶ διανοημάτων κτήσεως proponit. Nam ea notionum acquisitio, quam per aviarii imaginem describit, nonnisi in mente [3]) fit, unde efficitur, ut res ad infinitam in mente seriem redeat. Quodsi doctrinam aliquam certam de διανοημάτων indole atque ortu ad hanc quaestionem adhibuisset, ἀπόρημα facile dissolvisset. Sed doctrinam ἀναμνήσεως utpote minus firmam ad hanc difficultatem explanandam adhibere noluit; alteram doctrinam de origine notionum ἐξ αἰσθήσεως prorsus

---

1) Theaetet. 191 C: ἆρα ἔστι μὴ εἰδότα τι πρότερον ὕστερον μαθεῖν. ἔστι μέντοι κτλ.

2) Haec sumptio latet in ἐκμαγείῳ illo, praesertim in verbis: μνημονεῦσαι ὧν ἂν ἴδωμεν ἢ ἀκούσωμεν.

3) Cum vulgo loquor. Philosophice loquens dixerim: „Indagatio vel acquisitio notionum jam existentium et perfectarum est.“ Nam certo quidem sensu et νοήματα et αἰσθήματα in mente sunt.

Digitized by Google

rejecit.[1]) Itaque in Theaeteto rem explanare non potuit. Cum tamen in Sophista investigatione κατὰ τὸ εἰδέναι καὶ μὴ εἰδέναι (Theaetet. 188 C) relicta alteram viam κατὰ τὸ εἶναι καὶ μὴ ingressus cavillationem illam de errore ἐλεγκτικῶς redarguisset, in Timaeo et in Phaedone ad doctrinam ἀναμνήσεως rediit.[2]) Etenim quamquam illa recordatio, quaenam necessitudo inter duo cognitionis genera intercedere putanda sit, nullo modo declarat, tamen cognitionem notionum ponit. Quod genus cognitionis adeo praecipuum locum apud Platonem obtinebat, ut saepissime solum eo nomine dignum praedicaret.

Jam igitur tria quaestionum genera, e quibus orta est idearum doctrina, breviter perstrinximus. Nec me praeterit aliter de hac re exponi solere in historiis philosophiae quae feruntur. Nam Aristotelem[3]) secuti ideas Platonicas ex priorum philosophorum placitis veluti componunt, commiscentes Heracliti ῥοῦν cum definitione Socratica et Parmenidis uno. His addunt numeros Pythagoricos, Megaricorum ideas ἀσυμβλήτους, Anaxagorae νοῦν et alia id genus. Sed ejusmodi explicationibus uti, ut historico concessum est, ita philosopho minime licet. Primum enim de systematibus illis mirum est quantum inter se dissentiant viri docti, nec debemus rem ignotam ignotiore vel obscuram magis etiam obscura explanare. Deinde placita philosopha non sunt entia simplicia, quae veluti elementa ad varias mixturas conficiendas commiscere licet[4]), sed ipsa in elementa sua prius dissolvantur necesse est[5]). Sunt autem

1) Phaedo 96 B. Prior Theaeteti pars, de qua multi sunt commentatores, huc non pertinet. Ibi enim demonstratur τὸ πάθημα non esse cognitionem, vel ipsam αἴσθησιν non esse cognitionis definitionem; quod nemo negat. ἡ φαντασία οὐ ταὐτὸν τῇ αἰσθήσει Ar. Met. III 5. cf. Groteum. II p. 374 sqq., qui tamen in quaestione historica errat, Protagorae nimium patrocinatus.

2) De temporum ordine nihil affirmo. cf. infra p. 21. 5.

3) Metaphys. I 6, XIII 4. cf. Diog. Laert. III 10: Μίξιν τε ἐποιήσατο τῶν τε Ἡρακλειτείων λόγων καὶ Πυθαγορικῶν καὶ Σωκρατικῶν.

4) Cf. notum illud Herbartii: „divide Heracliti γένεσιν οὐσίᾳ Parmenidis et habebis ideas Platonicas;“ atque mirum illud tepidum balneum quo Plato apud Deussenium (De Platonis Sophista) „rigidam atque paene emortuam“ Megaricorum οὐσίαν refovet.

5) Inanitatem ejusmodi disputationum sine tali ἀναλύσει ex Teichmülleri exemplo discas, qui (Stud. z. Gesch. der Begriffe, Vorrede V) lo-

Digitized by Google

elementa illa verae quaestiones, de quibus sive sciente sive nesciente philosopho agitur.

His accedit quod Platonis philosophia doctrinas priorum philosophorum ipsas minus respicit, quam cavillationes dialecticas, quas Sophistae jactabant, vel, si Groteum audimus, ipse Plato maligne eas interpretando ex eis traxit. Cum enim logica neglecta μῦθόν τινα ..... διηγεῖσθαι ..... ἡμῖν (242 C) videantur, in omnes quodammodo cadit quod Plato de Heracliti sodalibus dicit: παρὰ μὲν οὖν τούτων ..... οὐκ ἄν ποτε λάβοις λόγον οὔτε ἑκόντων οὔτε ἀκόντων, αὐτοὺς δὲ δεῖ παραλαβόντας ὥσπερ πρόβλημα ἐπισκοπεῖσθαι.[1] Proinde ἐκείνους μέν τοι νῦν ἐῶμεν ἐπειδὴ καὶ ἄπεισιν (cf. Menon. 71 D.), ipsos dialogos potius adeamus qui omnia, quae ad plenam Platonicae philosophiae intelligentiam requiruntur, abundanter suppeditant.

De idearum natura.

At jam dudum lector ex me quaesiverit: quae tandem est natura atque indoles idearum, ad quas Platonem per tres illas vias deductum esse dicis? Et nihil quidem facilius esset quam ex locis illis decantatis Phaedri,[2] Phaedonis,[3] Symposii,[4]

---

quitur „Von dem Platonisch-Aristotelischem Idealismus“, et (Neue Studien I p. 233 sqq.) Platonem Pantheistam et Monistam sensu Heraclitico facit, Aristotelem vero dualismi (ib. p. 236) reum facit. cf. tamen infra p. 23. Ἀναλύσεως quam in omni quaestione philosopha necessariam duco praeclarum exemplum dedit Schopenhauerus in judicio philosophiae Kantianae. cf. W. als W. und V. 3. Ausg. I p. 511: „Diese Formen der Urtheile sind ja Worte und Wortverbindungen. Es sollte doch zuerst gefragt werden, was diese unmittelbar bezeichnen: es hätte sich gefunden, dass dies Begriffe sind. Die nächste Frage wäre dann gewesen nach dem Wesen der Begriffe“ etc. etc.

1) Haec revera etiam in Parmenidem cadere apparet ex Theaeteto. 180 E, 181 B, 183 E; Sophist. 242 D. Quod autem de Parmenide reverentius loquitur id quidem nihil ad quaestionem philosopham, facilem tamen habet explicationem. Scilicet arbitratus est Plato τοὺς ῥέοντας ethicam pessumdare adseverantes ἃ ἂν θῆται πόλις δόξαντα αὐτῇ, ταῦτα καὶ εἶναι δίκαια τῇ θεμένῃ (177 D). cf. De Legibus pp. 889—890 sqq.

2) p. 247 C, 250 B D.

3) p. 78, 79, 80.

4) p. 210 E, 211 A—D.

Digitized by Google

Timaei,[1]) Reipublicae[2]) enarrationem idearum grandiloquam altisonam componere, atque de earum pulchritudine, perfectione, unitate rhetorice et copiose ut fit disserere.[3]) Verum ex talibus declamationibus nihil prorsus discimus nisi quod jam scimus, scilicet Platonem sicuti etiam Aristotelem[4]), cognitiones illas atque scientias quae in meris notionibus praecipue versentur eis quae in rerum sensilium perceptione consistant mirum quantum praetulisse easque omnibus laudibus poeticis rhetoricis ethicis extulisse. Quodsi quaeritur quamnam de notionibus doctrinam ideae Platonicae exhibeant, tam simpliciter respondere non licet. Nam doctrina illa mutari videtur, nec, ut plerique credunt, secundum tempora Platonis vitae, sed secundum quaestiones quas tractat philosophus.[5])

---

1) p. 28 A B, 52 C.

2) p. 514 B sqq. cf. etiam Theaetet. 176 E—177 A.

3) Carolus Prantl (Gesch. d. Logik I p. 60 sqq.) de re recte judicat, de ipso Platone fortasse paullo iniquius. Id quod evenisse puto propter abusum talium locorum a Proclis nostris factum. Et quidem sunt ista multis ut bono illi Theodoro (Theaetet. 177 C) οὐκ ἀηδέστερα ἀκούειν, sed Platonem eo nomine vituperare durum est.

4) Met. I 2: τὸ γὰρ αἰσθάνεσθαι πάντων κοινὸν διὸ ῥᾴδιον καὶ οὐδὲν σοφόν.

5) Praecipui dialogi Platonici post ejus reditum Athenas vel certe post mortem Socratis (cf. Groteum vol. I p. 194—211) conscripti sunt eandemque, ut in quaestionibus impeditis, omnes doctrinam exhibent. Ut rem uno exemplo absolvam, prorsus nihil interest, quod quidem ad quaestionem philosopham attinet, utrum loci Phaedri (261 D) et Sophistae (217 C) ad Parmenidem jam litteris consignatum an consignandum spectent. Verba Caroli Prantl in quaestione consimili apponere libet: Denn wenn in der Metaphysik und der Ethik auf die Analytik vermittelst εἴρηται hingewiesen ist, so folgt für die wissenschaftliche Reihenfolge hieraus ebensowenig als wenn in gleicher Weise d. interpr. 1. 16^{a8} (quem tamen locum glossatori alicui deberi suspicatus est Christius) die Bücher über die Seele und Anal. post II 12. 95^{b11}, das sechste Buch der Physik citirt wird.

Dialogorum ordinem a Zellero propositum utpote maxime probabilem sequor, ita tamen ut potius ad Grotei in hac re ἐποχὴν inclinem. (Grote I 172—194). Quae si confirmatione eget, confer, quaeso, Peipersium (Ont. Platonis) nuper statuentem eodem fere tempore Theaetetum et finem Reipublicae scriptum esse (p. 486). Quod facit propter acerbam Socratis diatribam (172 D—177 C) de prava rerumpublicarum gerendarum ratione tunc temporis usitata. Quasi vero idem argumentum non etiam in Gorgiam cadat quem multo ante scriptum esse censet. Hoc modo demonstraveris Phaedrum post utrumque in lucem editum esse; nam in Phaedro Plato se

Digitized by Google

Et primarie quidem doctrina idearum nihil aliud evincere vult quam notiones existere, hoc est verba quibus reddunda in ratione utamur aliquid certi significare, quod per definitiones aliquatenus exprimere possimus et ad perspicue disputandum adhibere debeamus. Hoc praecipuum esse, rationes psychologicas et ontologicas secundarias esse atque incertas, cum ex universa philosophiae Platonicae ratione tum ex disertis philosophi verbis satis apparet.[1]) Nihilominus cum notiones per rerum sensibilium perceptionem explicare nec posset nec vellet, idealismum autem quem dicimus omnino non intelligeret (cf. infra p. 27. 5), coactus est sumere notiones quales in mente essent tales per se in rerum natura constare.[2])

Quantis tamen difficultatibus laboraret doctrina illa, Platonem minime fugit, ut ex priore Parmenidis parte liquet, ubi omnes omnino idearum explicationes refelluntur. Quod accuratius jam considerandum est. In illo igitur dialogo Socrates idearum doctrinam ad contradictiones Zenonianas elevandas proponit. Dicit enim non mirum esse tales contradictiones rebus inesse sensilibus; id demum sibi admirabile visum iri, si quis

---

ipsum quasi reprehendit atque corrigit quia acerbius in homines politicos atque rhetores invectus erat. Idem censet Sophistam post Parmenidem (500 sqq.), Parmenidem Sophistam Politicum Philebum post Rempublicam litteris esse consignatos. Equidem audaciter assevero me argumentis, qualia nostris philologis in hoc genere probentur, quemlibet ordinem dialogorum demonstrare posse. Sed me operae pretium facturum esse vix crediderim. (cf. Groteum I 193 ibique Bonitz, Strumpell, Wolf.)

1) Phaedr. 265 C: ἐμοὶ μὲν φαίνεται τὰ μὲν ἄλλα (sc. tota illa idearum in vita priore visio) τῷ ὄντι παιδιᾷ πεπαῖσθαι. κτλ. Quae sequuntur pura puta logica sunt. De loco Menonis 86 B jam supra dictum est. De loco Philebi (pp. 15—17) et supra dictum est et infra disputabitur. cf. p. 40. De republica 532 D 533 D: αὐτὸ τὸ ἀληθές ὅ γε δή μοι φαίνεται. εἰ δ᾽ ὄντως ἢ μή, οὐκέτ᾽ ἄξιον τοῦτο διισχυρίζεσθαι. ibid: οὐκοῦν καὶ ὅτι ἡ τοῦ διαλέγεσθαι δύναμις μόνη ἂν φήνειεν ἐμπείρῳ ὄντι ὧν νῦν δὴ διήλθομεν . . . . . καὶ τοῦτ᾽ ἔφη ἄξιον διισχυρίζεσθαι. Scilicet de ipsa dialectices atque idearum natura dubitat, de logica προπαιδευτικῇ qua ad ideas pervenimus minime. cf. etiam de repub. 511 C: μανθάνω . . . ἱκανῶς μὲν οὔ . . . ὅτι μέντοι βούλει διορίζειν σαφέστερον εἶναι τὸ ὑπὸ τῆς τοῦ διαλέγεσθαι ἐπιστήμης κτλ. cf. 517 B: θεὸς δέ που οἶδεν εἰ ἀληθὴς οὖσα τυγχάνει. cf. supra p. 7 n. 2.)

2) Opinio Cudworthii (Treatise of Immutable Morality pp. 243—245. Grote II 282), Tennemanni, Contii, ideas Platonicas meras mentis humanae notiones fuisse jamdudum explosa est.

Digitized by Google

demonstraverit easdem repugnantias rerum ideis per se seorsum constantibus inhaerere.[1]) Rogat eum igitur Parmenides, quarumnam rerum ideas ponat: earumne solum rerum, quae oculis cerni non possint, veluti virtutis justitiae pulchritudinis, an etiam rerum adspectabilium, veluti hominis, ignis, aquae, adeoque rerum turpium veluti luti crinis. Quod discrimen in quaestione de ideis quantum momenti habeat perspicuum est. Ad psychologicas tamen potius quaestiones quam ad ontologicas et logicas spectat. Qui enim notiones nihil esse dicunt nisi miras quasdam quasi perplexiones imaginum obscurarum verbis et vi memoriae inter se conjunctas, in invisibilium notionibus explicandis plurimum laborant. Qui autem notiones plane aliud genus esse contendunt et notiones quasdem ante omnem rerum sensilium perceptionem mentibus nostris quasi innatas esse, argumentis e talibus notionibus ductis praecipue nituntur. Quapropter Plato in Phaedone τῶν ἀορατῶν solorum notiones ad immortalitatem animae demonstrandam adhibuit, nec per totum hunc dialogum ulla rerum adspectabilium idea inveniri potest.[2]) Neque tamen inde recte concluseris Platonem tempore illo nullas rerum adspectabilium ideas posuisse, sed potius idearum doctrinam rationibus argumenti in Phaedone expositi quodammodo, ut ita dicam se ipsam accommodasse.

---

1) 129 D. sqq. Quaestionibus logicis atque psychologicis neglectis Teichmüllerus qui ex Heraclito atque Timaeo Platonico admirabili mentis acumine Pantheistam quendam Platonem composuit, negat ideas χωριστούς fuisse. (Neue Stud. I 150). Revera tamen hanc viri docti sententiam esse non credo. Sed tantum dicit Aristotelis νοῦν χωριστόν qui omnes notiones in se comprehendit, dualismi crimini aeque obnoxium esse atque ideas Platonicas. cf. Stud. z. Gesch. d. B. I 246—247. 250: Allein bei Aristoteles ist die Idee (ante Hegelium vir doctus „Ideen“ dicturus fuisset) eben sotransscendent wie bei Plato. Cf. Hermanni Lotze verba (logica 317—319) apud Peipersium (op. l p. 520). Scilicet ideas Platonis nulla veri problematis ἀναλύσει facta (cf. supra p. 19 n. 5) adgredientes semper erunt qui aut negent Platonem talem doctrinam revera probare potuisse aut eo nomine eum reprehendant. At. contra ideas nemo audiendus est nisi qui difficultates infra (p. 28 n. 1) expositas plene explicaverit; id quod neque Aristoteles fecit nec nostrates paucis exceptis possunt. Ipse autem Plato concedit sua de ideis placita. χαλεπὰ μὲν ἀποδέχεσθαι εἶναι, ἄλλον δ' αὖ τρόπον χαλεπὰ μὴ ἀποδέχεσθαι (532 D)

2) Nam voces εἶδος et ἰδέα his locis ideas non significare nemo non videt: 108 D ἰδέαν τῆς γῆς, 109 B παντοδαπὰ καὶ τὰς ἰδέας καὶ τὰ μεγέθη, 73 D εἶδος τοῦ παιδός, 77 C ἐν ἀνθρώπου εἴδει, 73 A ἐν τῷδε τῷ ἀνθρωπίνῳ εἴδει.

Digitized by Google

Etenim rerum visibilium ideae in Phaedonis argumentatione per fuissent incommodae atque molestae. Quae enim περὶ ἰσότητος disputat Socrates[1]) περὶ ἀνθροπότητος disputata scrupulum injecissent. Nam ὅτι πάντα τὰ ἐν ταῖς αἰσθήσεσιν ἐκείνου τε ὀρέγεται τοῦ ὃ ἔστιν ἴσον καὶ αὐτοῦ ἐνδεέστερά ἐστιν speciem veritatis prae se fert;[2]) at ὅτι πάντες οἱ ἄνθρωποι τοῦ ὃ ἔστιν ἄνθρωπος ὀρέγονται difficilius est ad demonstrandum.[3]) Quare prudenter hoc loco Plato rerum adspectabilium ideas non posuit. Eadem est ratio argumentationis ejus quae in capite LIV legitur. Etenim si Plato substantiarum ideas ad illud argumentum adhibuisset, coactus esset πῦρ τόδε et τὸ αὐτο-πυρ, cujus παρουσίᾳ πῦρ τόδε fit πῦρ, inter se distinguere etiam deinde analogiam secutus, τὴν τοῦ Σωκράτους ψυχήν et τήν αὐτο-ψυχην vel αὐτὸ τὸ τῆς ζωῆς εἶδος.[4]) Itaque qualitatem abstractam θερμότητα ut ideam posuit, πῦρ τόδε et πυρὸς ἰδέαν inter se non distinxit.[5])

Quoniam causas exposuimus cur rerum individuarum ideae in Phaedone non inveniantur, ad Parmenidem, unde huc aberravimus, redeundum est. Parmenidi igitur respondit Socrates se, cum de rerum corporearum praesertim rerum vilium ideis saepe et multum dubitasset, ad extremum totum se ad rerum invisibilium ideas contulisse, ne rerum contemnendarum ideas ponens in τιν' ἄβυθον φλυαρίαν incideret. Sed Parmenides hos timores atque dubitationes juventuti Socratis ita tribuit, ut eum auguretur cum se philosophia magis exercuerit nihil contempturum esse. Hanc potissimum Platonis opinionem fuisse tum res ipsa tum multi dialogorum loci perspicue demonstrant[6]).

---

1) Phaedo pp. 74—75.

2) Hoc argumentum inter usitatissima etiam nunc est.

3) Scilicet: οὐκ ἂν ἐπιδέχοιτ' ἡ οὐσία τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. Ar. Cat. III. 21

4) Teichmüllerus qui Platonem pantheistam facit (op. l. I 110 sqq.) negat cum Panaetio illo atque Hegelio, philosophum animae immortalitatem revera docuisse. At nemo qui Platonem attente legerit ignorare potest immortalitatem ei verisimilem tantum (cf. Tim. 72 D et notum Apologiae locum) visam esse, sed ad ethicam quasi necessariam: χρὴ τὰ τοιαῦτα ἐπᾴδειν ἑαυτῷ.

5) In Timaeo tamen ubi de rerum sensilium explicatione agitur πῦρ αὐτὸ ἐφ' ἑαυτοῦ ponitur (51 B).

6) Nullam rem in philosophia propter vilitatem dialectico negligendam esse nota est Platonis opinio; cf. Soph. 227 B, Polit. 266 D,

Digitized by Google

Etenim manifestum est argumenta, quibus Plato ad idearum doctrinam deductus est, in omnia pariter verba generalia cadere. Quare eos, qui Platonem aliquarum rerum ideas posuisse negent, eodem modo falli contendo ac si quis Phaedone lecto ideas rerum sensilium in universum neget. Scilicet in omni quaestione ideas materiae congruentes posuit philosophus[1]).

Itaque in Timaeo, ubi de mundi origine agitur, rerum manu factarum et τῶν πρός τι ideae rarius occurrunt. Inde orta est opinio Platonem talium rerum ideas non cognovisse[2]). Etenim si rem poetice magis quam logice spectamus, ideae rerum naturalium minus offensionis habere videntur quam ideae τῶν πρός τι. Effingimus enim animo omnium rerum naturalium perfectissimas et pulcherrimas imagines ἐν τῷ νοητῷ τόπῳ. Quod in ideis τῶν πρός τι difficilius fit. Verum si ideas omnino ἐν τόπῳ non esse reputaveris[3]), statim apparebit nihil interesse. Sed quid opus est verbis? Nam sicuti doctrina idearum ἐξ ὑποστάσεως verborum generalium originem duxit, ita nullarum rerum non possumus ideas apud Platonem invenire[4]), et ita

---

Theaetet. 178 D, Hipp. maj. 288 D. Quod ad ideas πυρός καὶ ὕδατος attinet, nullam dubitationem relinquit locus nobilissimus Timaei (51 B—52 A). Comparanda sunt verba ἢ ταῦτα ἅπερ βλέπομεν ὅσα τε ἄλλα διὰ τοῦ σώματος αἰσθανόμεθα μόνα ἐστὶ τοιαύτην ἔχοντα ἀλήθειαν, cum Parmenide (130 D) ἀλλὰ ταῦτα μέν γε ἅπερ ὁρῶμεν ταῦτα καὶ εἶναι. cf. de Repub. 515 B: ἅπερ ὁρῷεν.

1) Quod ipse aperte profitetur. cf. de Repub. 596 A. B: ἐκ τῆς εἰωθυίας μεθόδου . . . . . θῶμεν δὴ καὶ νῦν ὅ τι βούλει τῶν πολλῶν. cf. Parmen. 147 D. Idem facit in rerum divisionibus cf. Phileb. 23 B: δεῖν ἄλλης μηχανῆς. cf. 23 D, et Tim. 48 E.

2) Loci Aristotelici huc non pertinent; nam formula οὔ φαμέν pace commentatorum ipsum Platonem non denotat: οἷον οἰκία καὶ δακτύλιος ὧν οὔ φαμέν εἴδη εἶναι.

3) Tim. 52 B. C; Parmen. 156 D. E; Aristot. Phys. III 4: Πλάτων δὲ ἔξω μὲν οὐδὲν εἶναι σῶμα οὐδὲ τὰς ἰδέας διὰ τὸ μηδέ που εἶναι αὐτάς.

4) Locos probantes post Ritterum atque Zellerum coacervare non est operae pretium. (Zell. op. l. II 1, 585 n. 4.) cf. quae infra de posteriore Parmenidis parte disputavimus. Unus omnium rem sine ambagibus enuntiavit Carolus Prantl (Uebersicht d. griech.-röm. Philos. p. 89): „Kurz alle und jede Allgemeinheit, mag sie höher oder niederer stehen, ist eine Idee, und die Bildung eines Wortes für mehrere unter diese Bezeichnung fallende Gegenstände genügt zur Entstehung einer Idee." Quod vero hoc Platoni vitio vertit non assentior.

Digitized by Google

quidem per dialogos dispertitos, ut nullo tempore ejus vitae dicere liceat eum aliquarum rerum ideas repudiasse.

His explicatis progrediamur ad Parmenidis contra ideas disputationem, quae ita instituitur ut primum contra εἴδη χωριστά in universum disputet, deinde contra duas illius doctrinae explicationes, quas Socrates in medium affert; denique rursus contra doctrinam illam in universum. Et primum quidem contra doctrinam illam in universum demonstrat res individuas idearum participes fieri salva idearum unitate absoluta nullo modo posse.[1]) Deinde argumentum quod τρίτον ἄνθρωπον appellant ideis opponit: scilicet ex ideae cum rebus sensilibus comparatione alteram nasci ideam et rem in infinitam abire[2]). Aliam igitur explicationem proponit Socrates, Parmenidem jubens videre, μὴ τῶν εἰδῶν ἕκαστον ᾖ τούτων νόημα καὶ οὐδαμοῦ αὐτῷ προσήκῃ ἐγγίγνεσθαι ἄλλοθι ἢ ἐν ψυχαῖς (132 B).

Hoc vero ambiguum est; nam quaestionem ontologicam de eo, quod extra mentes nostras notionibus respondere putandum sit, movet priusquam ad quaestionem psychologicam de

---

1) Pravam consuetudinem talia plene enarrandi non sequar. μέγα βιβλίον μέγα κακόν· Lectorem Platonem jam lectitasse sumo.

2) Quod Brandisius (de perd. Ar. libris p. 18) hoc argumentum „a variis varie expositum" esse memorat, id nihil ad rem nostram. Argumentum a Platone inventum et dilucide expositum, ab Aristotele saepius repetitum suapte natura simplex et unum est; Scholiastarum vero nugae infinitae sunt. Quem talia delectant, is adeat Schaarschmidtium propter hoc argumentum Parmenidem Platoni abjudicantem. Mihi Hermanni de Sochero in quaestione consimili judicium apposuisse sufficiat: „So wenig man höhere Aufschlüsse über Plato's Geistesgeschichte von einem Mann erwarten wird, der ihm den Sophisten und Parmenides abspricht." (Plat. Phil. 1839 I p. 367.) Quod autem Susemihlius (in censura libri Peipersii Wochenschrift f. kl. Phil. X 17) Baemkerum (Ueber den Sophisten Polyxenos, Rh. Mus. XXXIV 64—79) secutus jam constare dicit hoc argumentum a Sophista Polyxeno inventum esse, confidentius loquitur vir doctus. Locus enim Phaniae quo nititur haec opinio ita est vel obscurus vel depravatus ut intellegi vix possit. Ipse autem Baemkerus ad locum de Repub. X 597 C. provocans largitur Platonis acumen ad hoc argumentum excogitandum satis suffecisse. Ego vero monstravi idem argumentum etiam in Timaeo inveniri. cf. infra p. 30 n. 4. Terminum quidem technicum τὸν τρίτον ἄνθρωπον qui apud Platonem nusquam legitur, Polyxeni vel alicujus Sophistae commentum fuisse haud negaverim. Nam Sophisticen plane redolet neque ego is sum qui talia Platoni vindicem.

Digitized by Google

notionum natura responsum sit. Permultum enim interest, utrum νοήματα illa φαντάσματα[1]) quodammodo sint, an entia prorsus alius generis. Sed quidquid hujus rei est, hanc de idearum cum rebus communione difficultatis solutionem ita tantum amplecti licet, si probaverimus doctrinam illam quem nostrates idealismum vocant. Ad quam doctrinam prope accedere videntur Aristoteles dicens ὅτι ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πώς ἐστι πάντα (de an III 8. 1) et Plato declarans (Tim 61 C) qualitates secundarias (τὰ παθήματα) et perceptionem disjungi non posse (πρῶτον μὲν οὖν ὑπάρχειν αἴσθησιν δεῖ κτλ.) Revera tamen neuter verum idealismum[2]) intellexit. Plato enim (l. l.) qualitates primarias sensu Lockiano per se constare arbitratur; Aristoteles vero varie et more suo inconstanter περὶ τοῦ αἰσθητοῦ et τοῦ ἐπιστητοῦ disputans[3]) semper tamen aliquid extra mentem per se constare ponit tamquam causam[4]) τῶν ἐν τῇ ψυχῇ ὄντων. Verus autem idealismus ens absolutum aut prorsus respuit aut omnino causam esse negat, sed quasi aversam et ignotam partem mentis affectionum esse submystice dicit[5]).

Plato vero in loco Parmenidis mentis affectiones in αἰσθητά et ἐπιστητά non dispescit, sed τὰ νοήματα menti inesse sumit,

---

1) cf. Ar. de An. III 8: τὰ δὲ πρῶτα νοήματα τίνι διοίσει τοῦ μὴ φαντάσματα εἶναι.

2) Id quod Carolus Prantl. (op. l. I p. 139, 235) „Subjectivismus" appellat. cf. p. 139: „die Alternative zwischen Subjectivismus und Objectivismus". Utramvis amplectaris doctrinam per me licet, modo ne ambas sicut vulgus philosophorum. De idealismo bene Auffarthius (Die Platonische Ideenlehre. Berlin 1883, p. 23—27). Errat tamen quod Platoni idealismum recentiorum tribuit, dualismum abjudicat. Quod ut efficiat demonstrare laborat (ibid pg. 27—31) δόξαν et διάνοιαν haud ita multum inter se differre. Satius fuisset διάνοιαν atque νοῦν inter se distinguere, quae interdum prorsus confundit, cf. p. 27. „Die διάνοια — und durch die soll doch die Idee erfasst werden".

3) cf. Cat. V. 17 sqq. cum de An. III 4, 14, 15; III 5, 3; III. 8, 3.

4) Metaphys. Γ 5 in fine: τὸ μὲν οὖν μήτε τὰ αἰσθητὰ εἶναι μήτε τὰ αἰσθήματα (sc. μὴ ὄντων τῶν ἐμψύχων) ἴσως ἀληθές (sed. cf. Cat. V. 19) τὸ δὲ τὰ ὑποκείμενα μὴ εἶναι ἃ ποιεῖ τὴν αἴσθησιν καὶ ἄνευ αἰσθήσεως ἀδύνατον.

5) Vulgus semper putabit idealismum esse negationem rerum sensibilium, οὗ τί ἂν εἴη ἀποπληκτότερον; sed φιλόσοφον πλῆθος ἀδύνατον εἶναι. Idealismus est negatio substantiae pro rerum sensibilium causa positae.

Digitized by Google

τὰ αἰσθητά (quae τἆλλα appellat) simpliciter extra mentem ponit. Inde consequitur ut aut notio mentis οὐδενός notio sit aut unius alicujus rei (ἑνός τινος) in rerum natura revera existentis, quae res ipsa notio erit. At si notiones revera rebus extra mentem positis insunt, aut res cogitandi facultate instruendae sunt aut notiones privandae. Utrumque absurdum.[1])

Rejecta igitur hac idearum explicatione ad aliam doctrinam transit Socrates, quam propter ejus venustatem et quia in Timaeo[2]) praecipuum locum obtinere videtur semper pro doctrina proprie Platonica accepta est[3]), quamvis hoc Parmenidis loco

1) Hunc locum respicit, id quod omnes nisi fallor interpretes fugit, Aristoteles (de An. III 4. 15. 16): καὶ αὐτὸς δὲ νοητός ἐστιν (†) ὥσπερ τὰ νοητά. ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης τὸ αὐτὸ ἐστι τὸ νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον .... ἐν δὲ τοῖς ἔχουσιν ὕλην δυνάμει μόνον ἕκαστόν ἐστι τῶν νοητῶν, ὥστ' ἐκείνοις μὲν οὐχ ὑπάρξει νοῦς ... ἐκείνῳ δὲ τὸ νοητὸν ὑπάρξει.

Hoc tamen modo difficultas non removetur. Nam secundum Aristotelem mens puram notionem τοῦ λίθου v. c. cogitat. (τὸ σαρκὶ εἶναι κρίνει). Mens divina δυνάμει non est sed ἐνεργείᾳ. Mens autem humana a δυνάμει ad ἐνέργειαν transit tum cum actu cogitat. (ὅταν νοῇ ἐκεῖνα). Sed hoc nihil ad τὸν λίθον. οὐ γὰρ ὁ λίθος ἐν τῇ ψυχῇ. Itaque notio lapidis aut omnino ad lapidem nihil pertinebit, aut semper ἐνεργείᾳ non δυνάμει ei inerit. Sed mens divina (νοῦς ποιητικός) nihil est praeter notiones quas cogitat. Itaque sicut mens humana παρουσίᾳ τοῦ ποιητικοῦ νοῦ actu cogitat, ita lapis quippe cui notio lapidis insit, cogitare putandus est.

Quod vero Groteus (II 272) dicit: „The word ἀνόητα here is used in its ordinary sense, in which it is the negative not of νοητός but of νοητικός"; hoc problema non solvit sed tantum aliter exprimit. Nempe sine idealismo vel potius sine diserta dualismi negatione difficultas illa tolli non potest. Itaque nostra quoque memoria exstitit qui rebus cogitandi facultatem non illam quidem sibi consciam tribuendam esse censeret. (Hartmann, Philosophie des Unbewussten.)

(†) locum hunc in exercitationibus Seminarii Philologici Monacensis emendavit Gulielmus Christ οὐχ aute ὥσπερ inserto. Qua emendatione veram Aristotelis sententiam perspicaciorem reddi facile intellegitur. Vult enim philosophus τὸν νοῦν ita νοητὸν esse ut simul intellectus et intellegibilis sit, τὰ νοητὰ autem ita intellegibilia esse ut νοῦς eis non insit. Quare νοῦς aliter (οὐχ ὥσπερ) νοητός est atque τὰ νοητά. In tanta tamen Aristotelis dicendi incuria emendationem hanc prorsus necessariam non duco. Itaque philosophi potius quamphilologi partes agens textum receptum mutare non ausus sum.

2) Timaeum Aristoteli, Theophrasto, Doxographis, Diogeni praecipuum Platonicorum placitorum fontem fuisse mihi quidem persuasissimum est.

3) cf. Alcinous de Plat. dog.: παραδείγματα τῶν κατὰ φύσιν αἰώνια. Lucian. βίων πρᾶσις p. 557. Schopenhauerus W. als W. und V., Buch III, Plat. Theaetet. 175 C. παραδειγμάτων ἐν τῷ ὄντι ἑστώτων.

Digitized by Google

aeque atque aliae idearum explicationes redarguitur. Sic autem a Socrate exponitur: τὰ μὲν εἴδη ταῦτα ὥσπερ παραδείγματα ἑστάναι ἐν τῇ φύσει, τὰ δὲ ἄλλα τούτοις ἐοικέναι καὶ εἶναι ὁμοιώματα.

Sed Parmenides facile ostendit hanc idearum explicationem rursus illi tertio homini obnoxiam esse; deinde transit ad doctrinam in universum iterum refellendam. Demonstrat enim si quis ideas per se seorsum constantes ponat, eas, cum apud nos esse non possint, nullo modo a nobis nosci posse. Deum autem qui ideas cogitet τὰ παρ' ἡμῖν ignorare. Nihilominus in fine hujus disputationis Socrati largitur sine ideis vel saltem sine rerum certis definitionibus[1]) artem dialecticam omnino constare non posse.

Atque hae Parmenidis dubitationes difficultatibus Theaeteti quodammodo ἀντίστροφοι sunt. In utroque enim dialogo Plato αἰσθητῶν et νοητῶν communionem explicare frustra studet. Et in Theaeteto quidem de eis veluti de mentis affectibus (πάθεσι, disputans haeret in refutatione sophismatis de errore, quod tamen aliquo modo redargui necesse est ad artem dialecticam constituendam. In Parmenide autem τὰ αἰσθητά et τὰ νοητά veluti entia extra mentem posita[2]) contemplans in eandem incidit difficultatem. Nexum enim rerum tam dissociabilium nullum invenire potest. Nihilominus τὰ εἴδη ad dialecticam necessaria esse affirmat. Restat igitur ut videamus, quomodo Plato has dubitationes dissolvere conatus sit, vel cum plenam rei explicationem non haberet, quibus sumptionibus atque argumentis usus sit ad sophistarum cavillationes amovendas viamque ad artem logicam muniendam. Et primum quidem animadvertendum est ad hanc difficultatem expediendam necesse esse ut vel τὰ νοητά per τὰ αἰσθητά explicemus vel invicem τὰ αἰσθητὰ per τὰ νοητά, vel denique alterum genus omninò tollamus[3]).

---

1) 135 B. μηδέ τι ὁριεῖται εἶδος ἑνὸς ἑκάστου.

2) In universum dico, nam certis locis τὰ νοήματα menti inesse sumit. cf. supra p. 27. Scilicet non dico Parmenidem Platoni disputationem ontologicam fuisse, Theaetetum psychologicam. Nam tales distinctiones illo tempore nullae fuerunt.

1) Mediam quandem viam invenisse sibi videtur Peipersius dicens nos „Platonis doctrinam panlogismi (nae est illud quidem portentum verbi,

Digitized by Google

Primum ut supra monui fit per doctrinam idealismi et reductionem notionum ad φαντασμάτων complexiones verbis conjunctas atque insignitas; secundum quomodo fiat eis explicandum relinquo qui deductionem rerum sensibilium ponunt; tertium verbis aliquatenus adseverari potest, re constanter praestare nemo potest[1]).

Plato igitur cum primam explicationem prorsus rejecisset, ad duas ultimas redactus est. Itaque nonnunquam rebus sensibilibus omnem veritatem, quam nostrates realitatem dixerint, eripit[2]); nonnunquam eas idearum participes fieri adfirmat modo quodam inexplicabile[3]). Interdum duas explicationes confundit. Ejusmodi est argumentum illud permirum quod contra illum τρίτον ἄνθρωπον promit. Dicit enim unam tantum cujusque rei ideam a Deo factam esse; nam si duae essent, ex earum comparatione tertiam exorituram esse[4]). Hoc vero difficultates

---

sed de verbis non agitur) moderati" nomine appellare debere (op. l sub finem). Ego vero moderatum Panlogismum non magis intellego quam bonus ille Cicero „quasi corpus" (cf. de Nat. deorum I. 26 sqq.) Panlogismus si sibi constare vult absolutus esse debet qualis fuit episcopi Berkleii vel potius Fichtei. Problema hoc ut formulam ab Hegelianis dilectam in usum meum convertam est: ein „Absolutes Entweder — oder". Verum Peipersius ut in singulis doctissimus et sagacissimus est, ita in summa philosophiae ratione haesitans et parum subtilis; alioquin non fuisset scripturus sescentas de Platonis ontologia paginas.

1) οὐκ ἔστι γὰρ ἀναγκαῖον ἅ τις λέγει ταῦτα καὶ ὑπολαμβάνειν (Ar. Met. Γ 3 in fine.)

2) Phaedo 65 B; 66 E sq.; De Repub. 586 A. cf. Stallb. Proleg. ad Parmen. pp. 278—279. Peipersium op. l. p. 518: „Immo [sc. in magna operum parte] existentiam veram aeternamque uni illi essentiae idearum concedit.

3) Locos congessit Zellerus (op. l. II 1. p. 641). Eodem pertinent verba Timaei 35 A: τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταὐτὸν ξυναρμόττων βίᾳ.

4) De Repub. 596 C: ὁ μὲν δὴ θεός εἴτε οὐκ ἐβούλετο εἴτε τις ἀνάγκη ἐπῆν μὴ πλέον ἢ μίαν ἐν τῇ φύσει ἀπεργάσασθαι κτλ. Idem argumentum legitur de τῷ παντελεῖ ζώῳ (Tim. 31 A), unde concludit Plato unum esse mundum ἵνα . . . κατὰ τὴν μόνωσιν ὅμοιον ᾖ τῷ παντελεῖ ζώῳ. Aristotelem vero hoc argumentum in usum suum — contorsisse, eis permirum accidere debet qui nesciant ideas Platonicas furca logica expulsas usque recursuras esse donec quaestio psychologica de notionibus ad liquidum perducta fuerit. cf. Met. XI 8. sub finem: εἰ γὰρ πλείους οἱ οὐρανοὶ . . . ἔσται εἴδει μία ἡ περὶ ἑκάστου ἀρχὴ κτλ. ibid: τὸ δὲ τί ἦν εἶναι οὐκ ἔχει ὕλην τὸ πρῶτον. ἐντελέχεια γάρ, Ἓν μὲν ἄρα καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ (!) τὸ πρῶτον κινοῦν κτλ.

Digitized by Google

Parmenidis ita tantum diluit, si rebus sensilibus omnem realitatem quam dicunt abjudicamus. Proclus autem quod dicit: ἡ γὰρ κοινότης ὁμοταγῶν μέν ἐστιν οὐχ ὁμοταγῆς δὲ τοῖς ὧν ἐστι κοινότης (Ed. Stallb. p. 684), verbum quidem novum in medium affert, argumentum nequaquam[1]). Si enim res et ideae omnino non sunt ὁμοταγεῖς, qui potest fieri ut res idearum participes fiant?

Praeter haec non responsum esse a Platone Parmenidis contra ideas disputationi fortiter affirmo. Nam posterior Parmenidis pars et Sophista aut meram logicam spectant, aut sumpta idearum hypothesi investigant εἰ τὰ ἀπ᾽ ἐκείνης ὁρμηθέντα . . . ἀλλήλοις συμφωνεῖ.

De ideis atque numeris.

Sed priusquam ad hanc quaestionem nos convertamus, locus injucundissimus de ideis et numeris breviter attingendus esse videtur. Nam qui arbitrantur Platonem post Parmenidem litteris mandatum idearum doctrinam ita refinxisse, ut dubitationibus in illo dialogo expositis amplius obnoxia non

---

1) Argumentis prorsus similibus Stallbaumius in Prolegomenis in Parmenidem ideas defendens multus est de „ideis absoluta natura privatis et in inferiorem detrusis locum" p. 284. Aliis locis ideis eam tribuit „vim et efficaciam" quae omnes dubitationes amoveat p. 258. Sed tamen ad incitas redactus aperte confitetur „omnino de rebus tam sublimibus proprie dicere non licere. Ipse certe proprie non loquitur, nam vult unum per se seorsum spectatum Platoni subtilius disserenti τὴν ἀόριστον δυάδα (si Dis placet) appellatum fuisse. Quod ut conficiat, locum Parmenidis (158 D) ita interpretatur, ut ἀπειρίαν, quam Plato τοῖς ἄλλοις tribuit, etiam τῷ ἑνὶ adsignet ibid. p. 82 sqq., p. 108, p. 109. [Postquam haec scripsi non sine animi quadam voluptate vidi perversam hujus loci interpretationem jam a Peipersio, Ont. Plat. p. 354, Stallbaumio objectam esse.] Idem οὐσίαν ab Aristotele Met. I 6 pro forma usurpatam οὐσίαν γεγενημένην intellegit p. 82.

Nec me latet locus 137 D, ad quem tamen non provocat Stallbaumius: Ἄπειρον ἄρα τὸ ἓν εἰ μήτε ἀρχὴν μήτε τελευτὴν ἔχει. Scilicet interest inter non finitum atque infinitum. Illud est sane unum absolutum, siquidem nullas admittit attributiones (142 A), unum vero relativum secundum Platonem tum demum infinitum existit, cum πολλὰ factum est. Verum Stallbaumius nescio quam communem idearum atque rerum οὐσίαν hariolatus in universo hoc dialogo explicando quod miserandum sit laborat.

Digitized by Google

esset, ii plerumque numeros in locum idearum substituunt. Quibus fortasse respondendum erat numerorum cum rebus sensilibus conjunctionem difficiliorem habere explicationem quam idearum, revera autem deliram illam opinionem apud Platonem nusquam inveniri. Ne tamen inertia mea hunc laborem declinasse videar, breviter enarrabo non Platonicam de ideis et numeris doctrinam quae nulla unquam fuit, sed locos Platonicos qui Aristotelem ejusque asseclas in errorem induxerunt. Ac primum quidem hoc in universum monere licet: numeros ipsos ideas esse, siquidem omne ἓν ἐπὶ πολλῶν (cf. supra p. 25.4) Platoni idea sit. Deinde rerum sensilium qualitates secundariae quae post Lockium vocantur in Timaeo ad qualitates primarias vel mathematicas κατὰ τὸν εἰκότα μῦθον referuntur. Denique saepenumero more Pythagorico numeris lusit Plato vel eos utpote παρακλητικοὺς τῆς διανοίας laudibus mysticis affecit.

Haec praefati singulos locos inspiciamus, qui vel maxime posterioribus fraudi fuerunt. In loco Philebi (16 D) Socrates de methodo dialectica exponens jubet τὴν τοῦ ἀπείρου ἰδέαν πρὸς τὸ πλῆθος μὴ προσφέρειν πρὶν ἄν τις τὸν ἀριθμὸν αὐτοῦ πάντα κατίδῃ [1]); quod non significare ideas numeros esse, sed in omni investigatione certum aliquem notionum numerum dialectico reperiendum esse loco perlecto quivis intelleget.[2])

Quod ad Timaeum attinet, verba θεός .... διεσχηματίσατο εἴδεσί τε καὶ ἀριθμοῖς (53 B) periphrasis sunt pro in ordinem redegit, et premi non debent; nec significant ideas numeros esse, sed hujus mundi ordinem et dispositionem numeris et ideis constare, quod vel e loco Philebi supra laudato liquet. Deinde quod (54 D sq.) de quattuor corporibus elementariis exponit οἷον ἕκαστον αὐτῶν γέγονεν εἶδος καὶ ἐξ ὅσων συμπεσόντων ἀριθμῶν, voce ἀριθμοῦ numerus triangulorum denotatur, ut ex proxime sequentibus patet, εἶδος autem illud paulo post (55 D) γεγονός τῷ λόγῳ γένος appellat et nonnisi στερεὸν γεγονός πυρὸς στοιχεῖον fieri dicit (56 B). Idea autem non idem est atque στοιχεῖα sed novum aliquid praeter illa existens. (Theaetet 203 E).

Sequitur locus Parmenidis, qui veluti fons et origo hujus

---

1) cf. Politicus 285 A. B.

2) Aristoteles aliud agens rem acu tetigit. ὅ τε γαρ ὁρισμὸς ἀριθμός τις. διαιρετός τε γάρ καὶ εἰς ἀδιαίρετα. Met. VII 3 sub finem.

Digitized by Google

mali haberi potest. Plato notionum in mentibus[1]) nostris inter se conjunctionem persequens demonstrat ipsam unitatis (τοῦ ἑνός) notionem non posse ita poni ut non simul cum ea implicetur, ipsa τῆς δυάδος notio, deinde omnium numerorum notiones. Sodales autem discipulique Platonis atque Aristoteles hunc locum ita intellexerunt, ut τὸ ἓν et τὴν δυάδα revera omnium numerorum causas praedicari putarent.

Restat denique excutiendus locus ille libri septimi de republica (523 D—526 E), unde originem duxit futilissima illa hariolatio de numeris mathematicis inter numeros sensiles et numeros ideales positis. Quem locum etiam Zellerum[2]) in errorem induxisse satis mirari non possum. Arithmeticen philosopho commendat Plato, quia de ipsis numeris nos disputare cogit: περὶ αὐτῶν τῶν ἀριθμῶν ἀναγκάζει διαλέγεσθαι (525 D); sunt autem αὐτοὶ οἱ ἀριθμοὶ nihil aliud quam ideae numerorum[3]) sicut αὐτὸ τὸ μέγα est ipsius magnitudinis idea. Quemadmodum autem inter αὐτὸ τὸ μέγα et ἄνθρωπόν τινα μέγαν prorsus nihil interjectum est, ita nullus est tertius numerus inter numeros ideales et res quasdam numeratas positus. Cum igitur nemo ausus sit affirmare Platonem τὸ μέγα inter res individuas ipsius magnitudinis participes et αὐτὸ τὸ μέγα posuisse, qui tale discrimen in numeris Platonem constituisse adseverat docere debet quomodo ea, quae (p. 523 B—524 D) de ideis qualitatum atque τῶν πρός τι exposita sunt, ab eis differant quae pagina sequente de numeris disseruntur.[4])

Idem valet de loco Philebi (56 C sqq.) Distinguitur enim ibi inter duas artes arithmeticas τὴν τῶν πολλῶν et τὴν τῶν φιλοσοφούντων. Tertiae illius ἀριθμητικῆς nullum apparet vestigium.

---

1) 143 A. αὐτὸ τὸ ἓν . . . . ἐὰν αὐτὸ τῇ διανοίᾳ [διανοίᾳ dicit non νῷ] μόνον καθ' αὑτὸ λάβωμεν . . . . ἆρά γε ἓν μόνον φανήσεται κτλ. cf. de repub. 476 A (de ideis) πανταχοῦ φανταζόμενα πολλὰ φαίνεσθαι ἕκαστον.

2) op. l. 1874 II 1. p. 568. „Sie (die Zahlen) fallen nicht mit den Ideen zusammen, sondern stehen zwischen ihnen und den sinnlichen Dingen in der Mitte.“

3) cf. Cratyl 432 A. αὐτὰ τὰ δέκα unde fortasse concluserunt Neoplatonici ultra decem ideas numerorum non dari.

4) Scilicet ideae mathematicae et ideae qualitatum atque τῶν πρός τι sunt παρακλητικαὶ τῆς διανοίας, quia non habent sicut substantiae (sensu Aristotelico) εἴδωλον . . . πρὸς τοὺς ἀνθρώπους ἐργασμένον ἐναργῶς. cf. Politicus 285 E—286 A.

Digitized by Google

Nempe ἀριθμοὶ ὁρατὰ σώματα ἔχοντες sunt res individuae numeratae. Quod autem (511 D) mathematicis διάνοια tribuitur abjudicatur νοῦς, hoc non tertium quoddam numerorum genus constituit, in quo mathematici versari putandi sint, sed tantum ad methodum qua mathematici utuntur spectat. Ipsam notionum cognitionem νοῦς efficit, διάνοια in notionibus inter se conjungendis disjungendisque versatur[1]). Mathematici autem qua mathematici notionum cognitionem sumunt (510 C), unde eorum ἕξις appellatur διάνοια (511 D). Ipsa tamen cognitio idearum, in quibus versantur mathematici, νόησις vocatur (526 B)[2]).

At dixerit aliquis, habere nos Aristotelem testem locupletem de magistri sui doctrina diserte adfirmantem Platoni ideas numeros fuisse, et numeros mathematicos medium quendam locum obtinuisse inter numeros ideales et sensiles. Ac de „Aristotelis quidem in judicandis aliorum philosophorum placitis levitate" [3]) non est hic locus disputandi. Qui ex Aristotelis tot annorum cum Platone familiaritate concludunt eum magistri doctrinam non potuisse non cognitam habere[4]), ei neglegere mihi videntur discrimen quod inter facta historica et placita philosopha intercedit, comparandum illud cum discrimine inter μαθημάτων et σιτίων emptionem a Platone facto[5]). Cum igitur doctrinae metaphysicae ut posteris referantur prius in mentis veluti sucum et sanguinem recipiendae sint, παρεμφαινόμενον κωλύει τὸ ἀλλότριον (Ar. de An. III 4). Aristoteli autem Platonis interpreti multa sunt τὰ ἀλλότρια. Et primum quidem ipsa de qua agitur notionum quaestio ei semper ineno-

---

1) Eodem discrimine νοῦς et διάνοια ab Aristotele usurpantur. cf. Zeller. op. l. ed. II, II 2 p. 441 n. 4., p. 443 n. 4. Et Platonem et Aristotelem vocem διάνοιαν sensu latiore saepe usurpare non est quod moneam.

2) Cf. 511 D. διὰ δὲ τὸ μὴ ἐπ'ἀρχὴν ἀνελθόντες σκοπεῖν ἀλλ' ἐξ ὑποθέσεων, νοῦν οὐκ ἴσχειν περὶ αὐτὰ δοκοῦσί σοι καίτοι νοητῶν ὄντων μετὰ ἀρχῆς.

3) Verba sunt Bonitzii ad Met. A 5. 986 ᵃ 13.

4) Trendelenburg de ideis etc. pp. 3, 4, 5. cf. contra Teichmüller. op. l. p. 226 sqq., cui tamen quod cum Abbate Contio atque Martinio Aristoteli malam fidem irrogat nemo assentietur.

5) Protagoras 314 A. Si in quaestione simplicissima de terrae rotatione fidem Aristoteli abrogare licet, quid dicendum est de quaestionibus metaphysicis? cf. Zeller. op. l. 1875 II 1 p. 682 n. 2.

Digitized by Google

dabilis ἀπορία fuit[1]). Unde fit ut saepissime cum Platonem carpere videatur, suas ipsius dubitationes exponat. Deinde Aristoteles, sicut omnes post eum peripatetici, aliorum opiniones nisi per suos terminos technicos enarrare non potuit[2]) Denique Plato in dialogis saepe jocatus est, saepe opiniones suas mythorum involucris involvit. Aristoteles autem, qui a talibus elegantiis plane abhorrebat, locos illos aut omnino neglexit, aut ad verbum accepit.

Loci[3]) igitur Aristotelici, qui ad hanc quaestionem pertinent, aut Platonis poeticos de numeris ludos respiciunt, aut quaestionem de rerum causis atque principiis, aut denique numeros mathematicos inter numeros ideales et sensiles positos. Atque locum de An. I 2. 8 nihil nisi meras ἀναλογίας et ludos Platonicos continere vel inde patet, quod ἀναλογίαι illae mysticae duobus modis explicantur: ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λεγομένοις διωρίσθη αὐτὸ μὲν τὸ ζῷον ἐκ τῆς τοῦ ἑνὸς ἰδέας κτλ. . . . . ἔτι δὲ καὶ ἄλλως νοῦν μὲν τὸ ἓν κτλ.[4]).

---

1) cf. Schweglerum ad Metaphys. p. 1039^{a22}.

2) Palmarium hujus rei exemplum praebet Alcinous. Nos vero omnes aliquatenus peripatetico verborum usu imbuti sumus ideoque Platonis haud aequi censores. cf. Trendelenburg op. l. p. 51: „ut certa seriorum formula ad Platonis sententiam designandam accomodaretur". Hoc modo etiam Theophrastum magistri sui terminis technicis abusum esse me monet Christius. cf. Diels Doxographi Graeci p. 485. Theophrast Physic. Opin. fr. 9 . . . δύο τὰς ἀρχὰς βούλεται (sc. Πλάτων) ποιεῖν τὸ μὲν ὑποκείμενον ὡς ὕλην . . . . . τὸ δὲ ὡς αἴτιον καὶ κινοῦν.

3) In ordinem tripartitum digesti legantur apud Trendelenburg op. l. pp. 9 sqq., nos aliud agimus. Illud moneo mihi quidem in quaestionem philosopham unice intento hunc librum haud magnae utilitatis fuisse. Quod si cui iniquius atque audacius dictum videbitur, conferat quaeso quae pp. 37—38 de simplicissima formula ᾗ μὴ καθ' ὑποκείμενον λέγεται monstrose disputantur. Palmam vero meret disputatio „subtilis" (p. 67 sq.) de loco Metaphys. XIII. 4: περὶ δὲ τῶν ἰδεῶν πρῶτον αὐτὴν τὴν κατὰ τὴν ἰδέαν δόξαν ἐπισκεπτέον, μηθὲν συνάπτοντας πρὸς τὴν τῶν ἀριθμῶν φύσιν, ἀλλ' ὡς ὑπέλαβον ἐξ ἀρχῆς οἱ πρῶτοι τὰς ἰδέας φήσαντες εἶναι. De quo cf. Susemihl II. p. 508. n. 639.

4) Ceterum verba ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λεγομένοις ad Platonis ἀγράφους συνουσίας necessarie referri minime constat. Nam verisimile est Aristotelem in libris περὶ φιλοσοφίας placita Platonica, somnia Pythagoricorum, commenta Speusippi, denique suas ipsius ἀπορίας non aliter permiscuisse inter se et confudisse quam in Metaphysicorum libris M et N eum fecisse

Digitized by Google

Quare ista quidem ei explananda relinquo qui illud ἐννεακαιεικοσικαιεπτακοσιοπλασιάκις serio tractandum sibi sumpserit. Exorietur aliquis.

De ideis et numeris rerum causis atque principiis locus praecipuus Aristotelis legitur Metaphys. I 6. De quo in universum monere licet Aristotelem per totam hanc operis partem nihil agere nisi ut suam ipsius de causis doctrinam priorum placitis confirmet. Quare in fine hujus capitis non sine aliqua jactatione addit: ὅτι μὲν οὖν ὀρθῶς διώρισται περὶ τῶν αἰτίων καὶ πόσα καὶ ποῖα μαρτυρεῖν ἐοίκασιν ἡμῖν καὶ οὗτοι πάντες οὐ δυνάμενοι θιγεῖν ἄλλης αἰτίας. Unde apparet quantum fidei huic „primae historiae philosophiae" debeatur. Quae vero de Platone habet ad hunc fere modum composita sunt: ideas ceteris rebus causas esse e Phaedone potissimum hausisse videtur. Platonicam hujus rei explicationem ut metaphoram poeticam sprevit [1]), explanationem logicam plane neglexit. Ipse enim causam sciendi [2]) ab aliis causis nunquam perspicue distinxit. Ideas autem Platonicas omnino ἐν τόπῳ non esse novit ille quidem, sed nunquam plene intellexit (cf. Phys. auscult. IV 2. 8). Itaque tecte sumpsit eas esse οὐσίας quales ipse statuit. [3]). Consequens fuit ut ex materia et forma eas consistere putaret. Formam idearum esse unitatem partim ex Parmenide collegit partim ex ipsius de definitionis unitate doctrina. Cum autem Plato ideis in se (νῷ) spectatis nullam omnino materiam adsignasset, materiam idearum quaesivit ex eis locis, in quibus Plato disputat

---

non sine fastidio percipimus. Themistius certe ad Xenocratis libros de natura provocat. Quae autem Johannes Philoponus habet pura puta Pythagorica sunt. Cf. Brandis. de perd. Ar. libris p. 48 sqq.

1) Notum est illud κενολογεῖν καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς.

2) Sensu Schopenhaueriano cf. Vierfache W.

3) Ex quibusdam locis fere concluseris Aristotelem eum errorem in hac re admisisse qui apud Lucianum (Vitarum Auctio p. 557) ita festive describitur: ἐγὼ δὲ πάντων ὁρῶ εἰκόνας καὶ σὲ ἀφανῆ κἀμὲ ἄλλον καὶ ὅλως διπλᾶ πάντα. Cf. Ar. Met. I. 7. οἱ δὲ τὰς ἰδέας αἰτίας τιθέμενοι, πρῶτον μὲν ζητοῦντες τωνδὶ τῶν ὄντων λαβεῖν τὰς αἰτίας, ἕτερα τούτοις ἴσα τὸν ἀριθμὸν ἐκόμισαν κτλ. Quodsi haec res ita se habet Commentatores Aristotelici Platonem abunde ulti sunt, qui consimili discrimine inter τὸ εἶδος (notionem) et res individuas notioni cognomines neglecto, in multis locis absurdissima quaeque Aristoteli adfinxerunt.

Digitized by Google

aut de rebus sensilibus ideas participantibus, aut de idearum inter se nexu mente ratiocinativa (διανοίᾳ) intellecto. In promptu erat illud ἄπειρον Philebi, quod fere τῷ μὴ ὄντι respondere videtur, vel τῷ θατέρῳ, vel Aristotelicae materiae vel denique τῷ δυνάμει ὄντι. Hoc autem secundum Platonem τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον in se continet quae satis respondent τῇ ὑπεροχῇ καὶ ἐλλείψει (Phys. I 4) et τῷ μείζονι καὶ ἐλάττονι, de quibus in Phaedone disputatur. Deinde recordatus rerum sensibilium cum ideis conjunctionem in Timaeo per numeros (vel per figuras geometricas numeratas) effici, omnes [1]) autem numeros in Parmenide ex dyade veluti progigni, putavit [2]) haec omnia bene inter se conciliari posse et ad unum certum doctrinae quasi corpus redigi, si quis sumeret ideas numeros esse atque dyadem illam numerorum fontem nihil esse nisi τὸ μέγα καὶ μικρὸν sub alieno nomine latitans.

Denique quod ad τὰ μεταξύ pertinet, origo hujus erroris e loco Platonico perperam intellecto supra repetita est. Num etiam somnia Pythagorica Speusippi et Xenocratis Aristoteli in causa fuerint, ut tales nugas Platoni adscriptas fastidiosa operositate redargueret [3]), quae est Zelleri [4]) opinio, equidem scire non laboro. Hoc tantum monere libet ab omnibus quod sciam adhuc neglectum: ipsum Aristotelem de suis ipsius placitis exponentem notionibus mathematicis vel potius geometricis medium quendam locum adsignasse inter notiones generales

---

1) Verba ἔξω τῶν πρώτων de quorum significatione minime constat non respicio. Plato certe in loco Parmenidis omnes omnino numeros ex unitate et dyade progignit. Nam non solum multiplicatione, verum etiam additione usus est. Quae res Bonitzii et Alexandri interpretationem refutare videtur.

2) Nec me fugit locus Phys. IV. 2. $209^{b\ 11}$.

3) De portentosa voce ἀσύμβλητος nusquam a Platone quidem usurpata, atque Aristotelis argumentis inde deductis (cf. Met. XIII. 6—8) satis habeo monere omnes ideas Platonicas aeque ac numeros ideales „ἀσυμβλήτους“ esse in se spectatas; nobis vero inter se consociatas videri. cf. infra p. 44. Itaque „interna illa repugnantia quae inest in notione numerorum ἀσυμβλήτων“ (Bonitz. op. l. II. p. 553) in omnes aeque ideas cadit nisi Platonicam idearum inter se conjunctionis explicationem accipis. Cf. infra p. 44. 4.

4) Op. l. ed. II. II. 2. p. 221 et Bonitz op. l. II. 540. Idem (p. 553 n). recte dicit rem ab Aristotele magis obscuratam esse quam illustratam.

Digitized by Google

sive abstractas in universum et res sensiles. Hoc imprimis inde liquet, quod formula τὰ ἐν ἀφαιρέσει λεγόμενα apud Aristotelem ut terminus technicus ad res mathematicas significandas usurpatur. [1]) Quasi vero non omnis notio generalis eadem abstracta, omnis notio abstracta eadem generalis sit.

Quam vero obscure atque perplexe de universa hac re cogitarit Aristoteles, patet ex loco metaphys. VI 10. Distinguit enim ibi tres circulos: τὸ κύκλῳ εἶναι seu circuli notionem, et κύκλον τονδὶ . . . . . τῶν καθ᾽ ἕκαστά τινος ἢ αἰσθητοῦ ἢ νοητοῦ, ubi paullo post ἐπεξηγήσεως χάριν addit: λέγω δὲ νοητοὺς μὲν οἷον τοὺς μαθηματικοὺς αἰσθητοὺς δὲ οἷον τοὺς χαλκοῦς καὶ ξυλίνους. Scilicet tacite sumit philosophus circulum in charta delineatum [2]) non sensilem esse, sed intellegibilem. Aliter enim fieri non potest, ut τὸ κύκλῳ εἶναι et κύκλος νοητός vel μαθηματικός inter se distinguantur. Cujus confusionis causa est haec: cogitat Aristoteles revera de mathematica spatii notione omnibus formis (σχήμασι) subjecta, quam licet in physicis aliter explicaverit, hoc loco ut per se constantem ponit. Nam quid sit illa ὕλη νοητή praeter ipsam spatii notionem nemo dicere poterit. [3])

---

1) Non dico Aristotelem τὰ μαθηματικά ut χωριστά posuisse; dico eum distinctionem inanem constituisse inter notiones mathematicas, τα. ε. α. λ. et ceteras notiones. Cf. De An. I. 1. 7; III. 7. 9 et Themist ad loc.; Metaphys. X. 3 et passim. Locos probantes non est quod cumulem. Loci ἀδιόνυσοι non deerunt quaerenti, veluti Met. XII. 2 sub fin., ubi ἐξ ἀφαιρέσεως sensu primario opponitur formulae ἐκ προσθέσεως. Itaque errat Zellerus, quod in loco de Anima III 8. 3 τὰ ἐν ἀφαιρέσει λεγόμενα simpliciter vertit „die abstrakten Begriffe" (op. l. ed. 2. II. 2 p. 133 n.); nam ὅσα τῶν αἰσθητῶν ἕξεις καὶ πάθη (σκληρότης, θερμότης κτλ. cf. Met. X. 3) pariter „abstrakte Begriffe" sunt. Quod vel ex grammatica enunciationis structura perspicuum est: ἐν τοῖς εἴδεσι τοῖς αἰσθητοῖς τὰ νοητά ἐστι τά τε ἐν ἀφαιρέσει λεγόμενα καὶ ὅσα τῶν αἰσθητῶν ἕξεις καὶ πάθη. Qui dualismus notionum mathematicarum et ceterarum notionum passim apud Aristotelem invenitur.

2) Vel τῇ φαντασίᾳ informatum; nam nihil interest.

3) Zellerus more Hegeliano occasionem arripit ὕλην omnium notionum Aristoteli adfingendi. At nullum hujus rei exemplum afferri potest nisi in notionibus geometricis. Nam in loco Met. 4. 28 κατ᾽ ἀναλογίαν loquitur philosophus dicens certo quidem sensu genus specierum ὕλην (sc. τὸ ὑποκείμενον ταῖς διαφοραῖς) esse. Quod verissimum est, sed prorsus nullius momenti. Etenim aut mera ἀναλογία est aut significat genera per se constare, quam Aristotelis non fuisse sententiam satis constat. Ubi autem

Digitized by Google

Ex simili errore originem duxit vana illa distinctio inter ἀρχάς geometricas et arithmeticas (Anal. post. I. 1. 4 et passim). Itaque cum ipse huic errori obnoxius esset, non est mirum eum similem doctrinam Platoni tribuisse de rebus mathematicis et notionibus ἐν ὑποστάσει spectatis.

De Parmenide atque Sophista.

Nobis vero his explicatis acquiescendum est in ea Platonicae doctrinae explicatione quae supra exposita est: videlicet Platonem ut logicam saltem salvam praestaret omnium omnino notionum ideas posuisse et omnes ἀπορίας metaphysicas ad hanc unam sumptionem relegasse, ne sermonibus de aliis rebus institutis plus officerent. Quod quomodo fecerit in Sophista et in posteriore Parmenidis parte jam considerandum est.

Quam autem necessitudinem inter duas partes Parmenidis intercedere credam, jam supra significavi. Totus enim dialogus quaes-

---

exempla proponit philosophus apparet eum revera de spatio cogitare e. g. in loco Metaphys VII 6 exemplum circuli recurrit. Ceterum cum omnes quod sciam interpretes in hoc loco miseras turbas cierint, monere visum est Aristotelem tria notionum genera distinguere: quae habent ὕλην αἰσθητήν, quae νοητήν, quae nullam omnino, h. e. rerum individuarum (πρώτων οὐσιῶν) species atque genera, notiones geometricas, ceteras notiones generales et abstractas veluti qualitates et affectiones et τὰ πρός τι. Inenodabilis vero inde orta est confusio quod Aristoteles saepissime substantiarum species substantias appellavit, eisque tamquam merum τί ἦν εἶναι essent, ὕλην omnino abjudicavit, multis autem qualitatum notionibus veluti τῷ σιμῷ ὕλην αἰσθητήν adsignavit, quia materiae notio earum definitionibus inest. Sed de his non est hic locus disputandi. Itaque de notionum ὕλῃ νοητῇ minime cogitandum est sed potius dicendum Aristotelem in eis notionibus explicandis quae spatii notioni subjectae sunt haesisse, ideoque talium notionum peculiarem constituisse classem.

Nostra quoque aetate philosophi praeclarissimi Kantius et Schopenhauerus in similem inciderunt errorem. Etenim de spatio et tempore disputantes tria distinguere videntur: primum notiones mathematicas ut notiones abstractas spectatas, perceptionem rerum sensilium in tempore atque spatio, meram temporis atque spatii perceptionem (quae nulla est), unde axiomata mathematica deducunt. Qui negat hanc Kantii fuisse sententiam, dicat quid sibi velit enunciatum hoc: Die Zeit und der Raum sind nicht Begriffe sondern Anschauungen. Nam ad perceptionem rerum sensilium in tempore atque spatio hoc dictum referre desipientis esset.

Digitized by Google

tionem in Philebo propositam ibique relictam copiose tractat.[1]) Itaque in priore dialogi parte an sint ideae necne inquirit (εἴ τινας δεῖ τοιαύτας εἶναι μονάδας ὑπολαμβάνειν ἀληθῶς οὔσας), in altera ideis ex necessitate sumptis quaestionem de uno et multis (ἓν καὶ πολλά) vel de repugnantiis[2]) in ipsis ideis existentibus exa-

1) cf. Phileb. 15 B in fine cum Parmen. 129 E et 144 E. De temporum ordine cf. supra p. 21. Ne tamen Philebum prorsus neglexisse videar, haec addam: Qui ipse credit ideam Platonicam ἕν τι τῶν ὄντων esse, necesse est eam deprehendat in illa omnium rerum quadripartita divisione in Philebo a Platone instituta. Si igitur de ideis ut de omnium rerum causis cogitas, eas ἐν τῷ γένει τῆς αἰτίας invenies; si autem ideas definitiones esse sumis, eas ad τὸ πέρας referes; si denique poeta es atque ideae ut rerum exemplaria pulchra tibi obversantur, perfectissimos λόγους ἐνύλους eas esse dices et ad τὸ μικτόν relegabis. Haec est Jacksonii sententia (Journal of Philology X, XI) qui notum Aristotelis de ideis atque numeris locum (metaph. I 6) cum dialogis Platonicis ita conciliare studet, ut Platonem dicat in Philebo, quem post Rempublicam scriptum esse censet, novam excogitasse idearum explicationem ad difficultates in Parmenide expositas evitandas. In Republica enim atque Phaedone ideas esse φύσεις omnibus omnino nominibus generalibus respondentes, in Philebo et in posterioribus dialogis ideas esse: τῶν κατὰ φύσιν αἰσθητῶν κατὰ γένος ὡρισμένα τινὰ παραδείγματα, ut Arii Didymi (Diels Doxog. graec. p. 447) verba ad Jacksonii sententiam illustrandam adhibeam; secundum priorem doctrinam res idearum participes fieri κατὰ μέθεξιν, secundum posteriorem κατὰ μίμησιν; exemplaria autem illa quodammodo numeros esse, scilicet ἀριθμοὺς vel λόγους ἐνύλους; quapropter ea ad τὸ μικτόν pertinere affirmat. Dubitationes Parmenidis hoc modo minime dissolvi posse non est quod moneam. Mihi vero totum hoc displicet novam idearum explicationem in Philebo quaerere neque credo philosophiam Platonicam in bina findi secando posse. Formula τὸ ἐκ τοῦ ἀπείρου καὶ πέρατος κατὰ φύσιν ἔμψυχον γεγονὸς εἶδος (32 B), unde opinionem Jacksonii, Arii, Alcinoi, originem duxisse suspicor, ideam ipsam non denotat sed unum aliquod animal (v. c. hominem, canem) ideae particeps. Plato autem ipse diserte affirmat se quaestiones illas impeditas de idearum natura ἔξω τοῦ λόγου ablegare. Sumit enim ideas, non defendit neque explicat. cf. supra p. 12. 3. Partitionem illam quadripartitam machinam appellat ad litem inter ἡδονήν atque ἐπιστήμην componendam 23 B; cf. supra p. 25. 1. Partitiones autem illae merae notiones (rein begrifflich) sunt, ut ex toto dialogo patet, nec licet Platonicum ἄπειρον cum Aristotelica materia (ὕλῃ) confundere. Denique si quis quocunque modo ideas in Philebi partitione deprehendere voluerit perspicuum est eas potius τῷ πέρατι quam τῷ μικτῷ adsignari debere, id quod Susemihlius quoque qui ceteroquin Jacksonio assentitur monet in censura Peipersii l. l.

2) Formula ἓν καὶ πολλά quasi terminus technicus est pro repugnan-

Digitized by Google

minat. Ipsa igitur idearum hypothesis in hoc dialogo neque defenditur neque satis explicatur, ut supra abunde demonstravimus. Sumpta vero hypothesi illa fortasse demonstratur quae inde consequantur inter se concinere. Cur autem fortasse dixerim infra apparebit. Qui igitur neglecto hoc discrimine ipsam idearum doctrinam in Parmenide defendi contendunt idem faciunt quod illi ἀντιλογικοί quos Plato in Phaedone reprehendit.[1])

His praemissis inquirendum est num revera in posteriore Parmenidis parte Plato demonstrare potuerit τὰ ἐκ τῆς ὑποθέσεως ἀποβαίνοντα (cf. Parm. p. 136) sibi constare, hoc est omnes repugnantias, quas οἱ ἀντιλογικοὶ in ipsis notionibus deprehendisse sibi visi essent, hac hypothesi dissolvi posse. De quo me dubium haerere ingenue fateor. Nam omnes difficultates logicas in ipso dialogo bene dilui pro certo habeo, utrum Plato clare perspexerit rem ita se habere necne valde dubito. Quod accuratius explicandum est.

Ac primum quidem perspicuum est hanc dialogi partem in novem quasi sectiones distribui,[2]) quarum octo repugnantias τοῦ ἓν καὶ πολλά subtiliter persequuntur, nona, quae ordine tertia[3]) est, difficultates illas aliquatenus diluere videtur. De hac parte infra disputabitur, illae primum considerandae sunt. Duae igitur ponuntur hypotheses: εἰ ἕν ἐστι et εἰ ἓν μή ἐστι. Inde oriuntur quattuor quaestiones dum quaeritur, quid ἐξ ἑκάστης ὑποθέσεως et uni et ceteris evenire putandum sit. Cum autem et uni et multis contraria evenire videantur, binae ex quaque quaestione nascuntur disputationes, quae contraria illa subtiliter exponunt. Demonstrantur autem repugnantiae illae per ambiguitatem vocis ἔστι (vel μή ἐστι), quae in argumentis II, IV, VI, VIII[4]) nihil

---

tiis et contradictionibus in universum: Ar. Met. III 2. ἀρχαὶ δὲ καὶ τῶν ἐναντίων τὸ ἓν καὶ τὸ πλῆθος.

1) 101 E: ἅμα δὲ οὐκ ἂν φύροιο ὥσπερ οἱ ἀντιλογικοὶ περί τε τῆς ἀρχῆς διαλεγόμενος καὶ τῶν ἐξ ἐκείνης ὡρμημένων κτλ.

2) 137 C — 142 B — 155 E — 157 B — 159 B — 160 B — 163 B — 164 B — 165 E — 166 C.

3) 155 E: ἔτι δὴ τὸ τρίτον λέγωμεν. Quare non debebat Susemihlius hanc disputationem appellare: einen Zusatz zur ersten Antinomie.

4) Sed cf. infra p. 49 n. 3.

Digitized by Google

est nisi copula[1]) quam nostrates dixerint, in argumentis I, V, VII, IX existentiam vel realitatem significat. Itaque cum idem vocabulum duabus significationibus usurpatum sit, non est cur miremur ἐκ ταύτης τῆς χρείας τῶν λόγων (238 D) contraria evenisse.[2]) Nec me talia magis delectant cum ea latine,[3]) vel germanice,[4]) vel adeo (si fas est dicere) Hegelice,[5]) vel denique per tabulas distributa[6]) lego. Nam quisquis logicam primis, ut aiunt, labris attigerit intellegat necesse est, quomodo hae repugnantiae ortae sint. Id solum operae pretium est investigare quomodo tertia illa disputatione omnes reliquarum disputationum contradictiones ita inter se conciliare studuerit Plato ut simul respondisse videretur et Philebi περὶ τοῦ ἓν καὶ πολλά dubitationibus et difficultatibus de ente atque non-ente absoluto in Sophista inchoatis. Quod ut explicemus, probe tenendum est sumptionem idearum omnibus notionibus respondentium huic Parmenidis parti veluti substratam esse. Eadem sumptio alio modo in Sophista tecte ponitur. Quod enim τὸ ὄν definit δύναμιν εἴτ' εἴς τὸ ποιεῖν εἴτ' εἴς τὸ παθεῖν, hac definitione re vera sumit omne graecae linguae nomen vel vocabulum ut nomen usurpatum ὄν τι denotare. Nam omne nomen, verbi quod grammatici dicunt, subjectum esse potest, verbum autem omne aut ποιεῖν aut πάσχειν exprimat necesse est.

Itaque hac sumptione facta facili negotio eos redarguit

---

1) Cf. arg. VI p. 162 A: δεῖ ἄρα αὐτὸ δεσμὸν ἔχειν τοῦ μὴ εἶναι τὸ εἶναι μὴ ὄν. cf. supra p. 2. 5.

2) Platonem in hac argumentatione scienter et sibi conscium hoc modo versatum esse vel ex loco 142 C liquet. cf. etiam quae 137 B de Aristotele responsore dicta sunt, et locum Phaedri 261 D, ubi ejusmodi disputationes ῥητορικῇ quodammodo tribuuntur, scilicet quia versantur ἐν ἐκείνῳ τῷ εἴδει ἐν ᾧ ἀνάγκη τὸ πλῆθος πλανᾶσθαι (263 B). cf. 137 A: πραγματειώδη παιδιὰν παίζειν. cf. 166 C: ὡς ἔοικεν, et formulas dubitantes per totum dialogum saepius adhibitas quam in ceteris dialogis fit.

3) Stallbaumius Proleg. in Parmen. pp. 66 sqq.

4) Zellerus Platonische Studien pp. 169 sqq.

5) Kuno Fischerus de Platonis Parmenide (Stuttgart 1851). Cujus disputationis hoc specimen esto: „Dies Weder—Noch ist das absolute Entweder—Oder, die Mitte des Begriffs, die ewige Grenze.“ σὲ δὲ ταῦτ' ἀρέσκει; μᾶλλα πλεῖν ἢ μαίνομαι.

6) Peipersius op. l. p. 404.

Digitized by Google

philosophos, qui existentiam nonnisi de una aliqua voce, vel de duabus aut tribus vocibus[1]) (κίνησις, τὸ ἕν, τὸ ἑστηκέναι κτλ.) praedicant. Nam quemadmodum in Parmenide quaestionem de repugnantiis ἐν αὐταῖς ταῖς ἰδέαις tractat, ita in Sophista problema persequitur cavillatoris ἐν αὐτοῖς τοῖς λόγοις refellendi[2]). In Parmenide ponit omnium notionum ideas, in Sophista sumit omnia verba ὄν τι significare, quod prorsus idem est quamdiu in meris notionibus vel in meris verbis versamur[3]). In Sophista tamen alteram quandem sumptionem facit quam in Parmenide disertis verbis non ponit, re tamen ponit. Etenim non solum sumit omnia verba ὄντα denotare, sed etiam haec ὄντα, quae deinde εἴδη appellat, certas quasdam inter se conjunctiones atque nexus admittere, alias repudiare. Quae sumptio sicut prior idearum sumptio nonnisi argumentis apagogicis et ex necessitate ductis fulcitur[4]).

His igitur duabus sumptionibus factis fallaciam τοῦ μὴ ὄντος in Sophista facile diluit. Sed quaestionem illam nunc non respicimus. Alteram illam sumptionem revera etiam in Parmenide tecte pro concesso poni vel inde patet, quod tota haec dialogi pars in notionibus inter se subtiliter nectendis versatur. Quod omnino fieri non potest, nisi conceditur τὰ γένη κοινωνεῖν ἐθέλειν ἀλλήλοις (Soph. 254 B). Rationem autem illius κοινωνίας obscure persequitur in tertia illa disputatione, ubi priorum disputationum repugnantias inter se conciliare studet. Nempe contraria illa diversis temporibus existunt, ἐν ἄλλῳ ἄρα χρόνῳ μετέχει καὶ ἐν ἄλλῳ οὐ μετέχει (155 E) . . . . ὅταν μὲν γίγνηται ἓν τὸ πολλὰ εἶναι

---

1) Loco Sophistae 242 D abutitur Teichmüllerus (op. l. p. 137) ad dualismum Platoni prorsus abjudicandum. Scilicet totum Sophistam ὀντολογικῶς non λογικῶς interpretatur.

2) Soph. 239 E. καταγελάσεταί σου τῶν λόγων, ὅταν ὡς βλέποντι λέγῃς αὐτῷ . . . . τὸ δ' ἐκ τῶν λόγων ἐρωτήσει σε μόνον.

3) Cf. Parmen. 147 D. Sophist. 244 C. τό τε δύο ὀνόματα ὁμολογεῖν εἶναι μηδὲν θέμενον πλὴν ἓν καταγέλαστόν που. Cf. supra p. 2. 5.

4) Soph. 252 A. ταχὺ δὴ ταύτῃ γε τῇ συνομολογίᾳ πάντα ἀνάστατα γέγονεν ὡς ἔοικεν ἅμα τε τῶν τὸ πᾶν κινούντων καὶ τῶν ὡς ἓν ἱστάντων κτλ. Cf. 252 C. et Theaetet. 183 B. Stallbaumio hoc problema philosophicum de notionum communione Μεγαρικὴ τις μηχανὴ ut cum Aristophane loquar esse videtur. Sit per me licet; cf. supra 10 n.

Digitized by Google

ἀπόλλυται (156 B). Restat dubitatio de tempore illo in quo haec mutatio fieri putanda sit. πότ' οὖν μεταβάλλει; . . . . . . οὐ γὰρ ἐκ γε τοῦ ἑστάναι ἑστῶτος ἔτι[1]) μεταβάλλει, οὐδ' ἐκ τῆς κινήσεως κινουμένης ἔτι μεταβάλλει. Huic difficultati, quae prorsus eadem est atque illa Diodori et Zenonis contra motum cavillatio[2]) (Zeller op. l. II 1, p. 228), ita occurrit Plato ut unum dicat non in aliquo tempore multa fieri, sed in momento; in momento autem neque unum neque multa esse (156 DE): ἀλλ' ἡ ἐξαίφνης αὕτη φύσις ἄτοπός τις ἐγκάθηται μεταξὺ τῆς κινήσεώς τε καὶ στάσεως ἐν χρόνῳ οὐδενὶ οὖσα[3]) . . . μεταβάλλων δ' ἐξαίφνης μεταβάλλει καὶ ὅτε μεταβάλλει ἐν οὐδενὶ χρόνῳ ἂν εἴη οὐδὲ κινοῖτ' ἂν τότε οὐδ' ἂν σταίη.

Estne sana haec ratiocinatio? Ego aio, modo ne pro explicatione idearum cum rebus sensilibus conjunctionis accipiatur sed tantum idearum inter se nexuum[4]). Nam omnes difficultates

---

1) Cf. Symp. p. 187 AB: οὐ γὰρ δή που ἐκ διαφερομένων γε ἔτι τοῦ ὀξέος καὶ βαρέος ἁρμονία ἂν εἴη. Quae verba tam proprie Platonica Stallbaumius (cui assentitur Susemihlius) solita quaestionum philosophicarum intelligentia Eryximacho per ludibrium tribui censet. Scilicet physici origine rei alicujus ex quibusdam elementis probabiliter explicata semper adfirmabunt rem illam esse elementa illa, logici semper negabunt. cf. Theaetet 203 E sq. et Ar. Met. η 3 οὐ φαίνεται δὴ ζητοῦσιν ἡ συλλαβὴ ἐκ τῶν στοιχείων εἶναι κτλ.

2) Has cavillationes Aristoteles atque multi post eum praeclare explicaverunt; nulla tamen explicatio plene sufficit nisi psychologica qua notiones ad φαντασμάτων complexiones rediguntur. Nam in φαντάσμασι (in der Anschauung) hae repugnantiae omnino non existunt. cf. verba Schopenhaueri supra p. 3. 1 et op. l. Band II p. 342, et Band I 8.

3) Quod Zellerus (Plat. stud. pag. 181) et Susemihlius (op. l. p. 348) ex hoc loco eliciunt: „Nicht die Idee ist den Dingen, sondern die Dinge sind der Idee immanent", miror magis quam probo.

4) Non nego Platonem in hac Parmenidis parte obscure etiam de rebus sensibilibus cogitasse. Nam cum Aristotele dico: οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή (de An. III. 7). Sed cum ex loco de Repub. p. 576 A discamus de ideis: αὐτὸ μὲν ἓν ἕκαστον εἶναι, τῇ δὲ τῶν πράξεων καὶ σωμάτων καὶ ἀλλήλων κοινωνίᾳ πανταχοῦ φανταζόμενα πολλὰ φαίνεσθαι ἕκαστον, adfirmo Platonem in posteriore Parmenidis parte τὴν ἀλλήλων κοινωνίαν persecutum esse, et quoad ejus fieri posset, ipsas ideas rebus sensilibus neglectis spectasse. Cf. supra p. 33. 1. Parmen. 143 A. αὐτὸ τὸ ἓν κτλ. Parmen. 129 E. 130 A. Concedo haec omnia secundum Platonis sententiam ideis ἐν τοῖς γιγνομένοις . . καὶ ἀπείροις (Phileb. 15 B) evenire. Sed hanc sententiam plene explicare et defendere non potuit. In Parmenide autem, ut

Digitized by Google

eadem hypothesi expediuntur, unde originem duxerunt. Hypothesis enim est omnium, non modo aliquarum, notionum ideas per se constantes dari. Quod si Platoni das, non est cur recuses quominus accipias τὴν ἐξαίφνης, καίπερ ἄτοπον φύσιν οὖσαν. Etenim si mihi obicis τὴν ἐξαίφνης φύσιν nihil esse nisi mentis humanae figmentum nec per se omnino constare nec ad quicquam explicandum adhiberi posse, respondeo ita mihi quidem persuasum esse, nec non τὸ ἕν, τὰ πολλά τὸ ὅμοιον, τὸ ἀνόμοιον, τὸ ὄν, τὸ μὴ ὄν, τὸ ἴσον, τὸ ἄνισον et omnia illa contraria, in quibus hae repugnantiae existunt. Verum qui sicut Plato omnia verba generalia ἐν ὑποστάσει ponunt, psychologiam fortasse pessumdant, logicam certe solvam praestant; qui vero pauca tantum verba ad entium dignitatem promovent, πάντα ἄνω καὶ κάτω στρέφουσιν. Itaque ideis semel sumptis haec argumentatio omnes dubitationes tollit. Ideae enim ἔξω χρόνου per se separatim existentes nobis ἐν χρόνῳ atque inter se perplexae et impeditae cognitae fiunt. Ipsa tamen idearum conjunctio vel alius in aliam transitio non fit ἐν χρόνῳ sed ἐν τῇ ἐξαίφνης. Hoc modo omnes in ipsis ideis contradictiones explicatae sunt: hypothesi sumpta, τὰ ἐκ τῆς ὑποθέσεως ἀποβαίνοντα sibi constant.

Atque tanta quidem est verae logicae vis, ut haec ratio quodammodo comprobetur vel eis, qui Platonicam idearum doctrinam prorsus repudiant atque notiones arbitrantur nihil

---

Peipersii verbis utar „in meris — ideis Parmenides suam meditationem versaturam esse profitetur". Totam hanc quaestionem praeclare tractavit Peipersius (op. l. p. 351 sqq.). Haec imprimis probo: „quaecumque igitur profert si consilium ejus et voluntatem respicias ideas sive notiones spectat" ib. p. 357.

Dicere vero Platonem finem quem sibi proposuerit dedita opera celavisse dignum est auctore epistolarum non Zellero: (Plat. Stud.) „Platon's Weise den Zweck seiner Werke zu verstecken". Scilicet φραστέον δή σοι δι' αἰνιγμῶν ἵν' ἄν τι ἡ δέλτος ἢ πόντου ἢ γῆς ἐν πτυχαῖς πάθῃ ὁ ἀναγνοὺς μὴ γνῷ epist. B[1] 312 D. Quasi ipse Plato non praeclare dixisset ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος (Tim. 29 E). cf. Phaedr. 247 B: φθόνος γὰρ ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται. Verum vulgus alium sapientem non intellegit nisi Tiresiam quendam aenigmatum inventorem atque solutorem. Nugacissimam hanc et Platone indignissimam opinionem, Neoplatonici ex loco Parmenidis perverse intellecto procuderunt. (136 D) ἀπρεπῆ γὰρ τὰ τοιαῦτα πολλῶν ἐναντίον λέγειν ..... ἀγνοοῦσι γὰρ οἱ πολλοὶ ὅτι ἄνευ ταύτης τῆς διὰ πάντων διεξόδου τε καὶ πλάνης ἀδύνατον ἐντυχόντα τῷ ἀληθεῖ νοῦν ἔχειν. cf. Euthydemum sub finem.

Digitized by Google

esse nisi certas quasdam mentis affectiones ex imaginibus in mente sitis compositas. Namque notiones (ideae) tum mutari videntur, cum in mentibus nostris notio alia aliam subsequitur. Hoc autem fit per tempus brevius quam quod sentiri possit. Nam transitio illa ita tantum tarde procedere potest, si obscure fit ita, ut sensum nostrum lateat. Si enim animum intendimus, statim alteram e duabus notionibus contrariis amplectamur necesse est. Hoc autem, ut supra dictum est, fit per tempus quolibet temporis spatio brevius, quod infinitesimale vocant mathematici et in ratiocinando pro nihilo habent atque neglegunt. Sed illuc redeundum est. Quid est igitur causae, cur cum adseverem omnes difficultates illas hoc argumento profligari, dubitem tamen, num Plato ipse sibi hoc explicatione plene satisfecerit? Cur ita dubitaverim multa sunt, quae ut accuratius explicem ad Sophistam revertendum est. Etenim quaestiones in Sophista tractatae disputationibus Parmenidis miris modis respondent. Nam quae p.p. 244—246 contra ens Parmenideum disputantur, re nihil differunt a prima Parmenidis disputatione. Definitionem autem τοῦ ὄντος (p. 247 E) nihil esse nisi omnium idearum quasi positionem logicam jam supra monitum est. Porro quae postea contra τὸ πᾶν ἑστηκός atque contra rationem τῶν πανταχῇ τὸ ὂν κινούντων (249 D) disputantur doctrinam secundae Parmenidis disputationis referunt. Conclusio denique (p. 250 C) κατὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν ἄρα τὸ ὂν οὔτε ἕστηκεν οὔτε κινεῖται [1]), et ἀπορία illa (p. 250 D) εἰ γάρ τι μὴ κινεῖται πῶς οὐχ ἕστηκεν, brevi quadam formula omnes complectuntur duarum priorum Parmenidis disputationum repugnantias, quae in tertia illa disputatione momento (τῇ ἐξαίφνης φύσει) adhibito dissolvuntur. Et quidem in Sophista de hac difficultate dicit (250 E) τοῦτο μὲν τοίνυν ἐνταῦθα κείσθω διηπορημένον. Igitur in promptu est, ut hanc quaestionem in Parmenidem reservatam esse [2]) putemus; nam in Parmenide certe explicatur. Quae tamen subsequuntur verba potius desperantis de plena rei solutione esse videntur

---

1) cf. Parmen. 139 B: τὸ ἓν (ens absolutum) ἄρα ὡς ἔοικεν οὐθ᾽ ἕστηκεν οὔτε τε κινεῖται. 162 E τὸ ἓν (ens vel non ens relativum) ἄρα ὡς ἔοικεν οὐκ ὂν ἕστηκέ τε καὶ κινεῖται (scilicet diversis temporibus).

2) Cum Zellero credo Parmenidem post Sophistam conscriptum fuisse. Sed ad rem nihil interest cf. supra p. 21. 5.

Digitized by Google

quam confidenter quaestionem impeditam ad locum magis opportunum relegantis . . . καὶ ἐὰν αὖ μηδέτερον ἰδεῖν δυνώμεθα, τὸν γοῦν λόγον ὅπῃπερ ἂν οἷοί τε ὦμεν εὐπρεπέστατα διαθησόμεθα οὕτως ἀμφοῖν ἅμα. Quibus verbis aperte confiteri videtur philosophus rationem suam utpote mere logicam altiores quasdam difficultates inexplicatas relinquere. Itaque argumentum ex necessitate ductum contra ἅπαντας . . . τοὺς πώποτε περὶ οὐσίας καὶ ὁτιοῦν διαλεχθέντας ita instituit, ut illos interroget quomodo αὐτὰ ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν λόγοις τιθῶμεν (251 D, cf. 252 C).

Eandem dubitationem deprehendere mihi videor in loco 258 E—259 B, ubi difficultas τοῦ μὴ ὄντος per τὴν θατέρου φύσιν amota, sub nomine ἐναντίου τῷ ὄντι, vel, ut est in Parmenide, τοῦ παντελῶς μὴ ὄντος recurrit: ἡμεῖς γάρ περὶ ἐναντίου τινός αὐτῷ χαίρειν πάλαι λέγομεν εἴτ' ἔστιν εἴτε μὴ κτλ. Cur autem ad non-ens potissimum pertinere videatur haec dubitatio, quamquam supra dictum est ens aeque ac non-ens ἀπορίας μετέχειν, Parmenidis disputationibus denuo sub examen revocatis apparebit. Et disputatio quidem secunda et quarta de ente relativo atque disputatio sexta et octava[1]) de non-ente relativo nihil sunt nisi illa τοῦ θατέρου doctrina[2]) quae in Sophista legitur, et aut se ipsae satis explanant aut certe disputatione tertia plene explicantur. Idem tertium illud argumentum difficultates entis absoluti in prima et quinta disputatione propositas quodammodo diluere

---

1) Sed cf. infra p. 49 n. 3.

2) Sophist. 258—259. Itaque Steinhart (Einleit. z. Sophist. 470—471) ad quattuor disputationes de ente atque non ente relativo respiciens censet Parmenidis difficultates in Sophista bene dilui. Eidem errori aliquatenus obnoxius et Sophistam sicut Teichmüllerus (cf. supra 43. 1) ontologice interpretatus Peipersius censet Sophistam post Parmenidem conscriptum esse. cf. supra p. 21. 5, op. l. p. 219—220 „in Sophista qui omnium maxime est ontologicus". Quanto rectius vetus interpres: Σοφιστής ἢ περὶ τοῦ ὄντος, λογικός. Hanc τοῦ θατέρου doctrinam frustra impugnat Groteus II 449 sqq. Concedo nostrum de copula usum loquendi perspicaciorem esse atque errori minus obnoxiam. Sed quod ad quaestionem philosopham attinet explanatio Platonica prorsus eadem est. Nos vero adeo magni Peripatetici terminorum usui adsuefacti sumus ut Platonem idem dicentem non intelligamus. Revera omnis, ut ita dicam, haec difficultas originem duxit e grammatico vocum εἶναι ὄν sein, seiend κτλ in lingua graeca et Germanica usu, qui in lingua Francogallica et Anglica prorsus alius est. cf. supra p. 2. 5.

Digitized by Google

videtur. Nam licet illud ens absolutum[1]) omnibus rebus in se receptis (160 B) ipsum per se omnino ἄγνωστον esse videatur (142 A), hoc tamen nonnisi propter imbecillitatem nostram accidit, qua, ut verbis Timaei utar (52 B), ὀνειροπολοῦμεν . . . καί φαμὲν ἀναγκαῖον εἶναί που τὸ ὂν ἅπαν ἔν τινι τόπῳ. Revera tamen ens absolutum nullis omnino temporis[2]) aut spatii[3]) finibus continetur.

His igitur explicatis restant difficultates non-entis absoluti, quas in disputatione septima et nona[4]) persequitur philosophus, quas difficultatis prorsus easdem esse atque repugnantias entis absoluti[5]) quivis perspiciet comparans locum 166 B cum loco 160 B atque locum 164 B cum loco 142 A. Sed speciosam illam explanationem, qua enti absoluto aliquam saltem significationem[6]) vindicavit, ad non-ens absolutum explicandum adhibere non potuit Plato. Etenim cum ens absolutum extra temporis atque spatii fines relegasset, si idem in non-ente absoluto facere instituisset, nullum omnino discrimen habuisset, quo inter se distinguerentur. Dicere vero ens atque non-ens idem esse nostrae aetatis sapientiae reservatum fuit.[7]) Itaque cum non-entis ab-

---

1) Tim. 37 E: τῇ δὲ τὸ ἔστι μόνον, unde apparet ens absolutum potius quam unum ideas, in se quidem spectatas, in Parmenide denotare. cf. infra p. 49 n. 1.

2) Parmen. 141 A; 156 C, D. Tim. 37 E.

3) Tim. 52 B sqq.

4) Aliquatenus etiam in octava: cf. infra p. 49 n. 3.

5) Pudet de hac re tot verba facere. Ens absolutum sicut non ens absolutum contradictio in adjecto est vel sideroxylon quod dicunt logici. Itaque secundum Platonis rationem difficultas dissolvi potest, si dicimus: τὸ παντελῶς vel τὴν παντελῶς φύσιν et τὴν θατέρου φύσιν vel τὴν τοῦ μὴ ὄντος οὐσίαν (Polit. 286 B τῆς τοῦ μὴ ὄντος οὐσίας) μὴ ἐθέλειν κοινωνεῖν cf. Sophist. 254 C, 261 D, et supra p. 25. 1. Idem illud ens absolutum, cui nuper nomen The Unknowable (τὸ παντελῶς ἄγνωστον) inditum est, in recentiore philosophia anglica grassatur. Ei patrocinatur vir ingentis acuminis, nullius eruditionis historicae Herbertus Spencer, qui argumenta Parmenidis antinomiis prorsus similia suo excudit marte et pro novis venditavit. cf. Herbert Spencer First Principles Part I The Unknowable.

6) Tim. 37 E: τῇ δὲ τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει. Quo in loco spero neminem μόνον ad τῇ relaturum esse.

7) Probe scio huic formulae logicam vim inesse si callide explicetur. Sed equidem non miror amoque „inversis quae sub verbis latitantia" cerno.

Digitized by Google

soluti perspicuam rationem reddere non posset, satis habuit efficere ne sermonibus nostris amplius officeret, demonstrando omnino de eo verba facere non licere. (164 A B) τί δέ; τὸ ἐκείνου ἢ τὸ ἐκείνῳ, ἢ τὸ τί ἢ τὸ τοῦτο . . . . ἢ ποτὲ ἢ ἔπειτα, ἢ νῦν ἢ ἐπιστήμη ἢ δόξα, ἢ αἴσθησις, ἢ λόγος ἢ ὄνομα κτλ. Quibus verbis si in re seria iocari licet, difficultati illi, cui in Sophista χαίρειν εἶπε philosophus, nunc κλαίειν μακρὸν εἰπεῖν videtur.

In hac igitur τοῦ παντελῶς μὴ ὄντος explicatione nonnihil haesisse mihi videtur philosophus. Quod a Zellero obscurius intellectum viro egregio fraudi fuit. Censet enim vir doctissimus doctrinam idearum in posteriore Parmenidis parte ita exponi atque defendi, ut demonstretur uno quo ubique ideam significari sumit (cf. supra p. 48. 1) posito contradictiones relativas inde consequi, negato absolutas [1]). At res non ita se habet. Nam contradictiones [2]) ab unius positione deductae quae in locis 142 A, 160 B leguntur non sunt minus absolutae atque, ut ita dicam, omnibus numeris perfectae quam quae in locis 164 B et 166 B ex ejusdem negatione colliguntur. Reliquarum [3]) vero disputationum contradictiones ad ens relativum pertinere jam docui. Universa autem

1) Op. cit. 1874 II, 546—547, 565, Plat. Stud. In hac re otium mihi fecit Peipersius op. cit. p. 356 sqq. „Nam primum illud ἓν ideam Platonicam in universum significare conjectura est“ etc. cf. p. 358. „Unitatis igitur ideae ceteras ideas opponit“. Sed conferenda est tota disputatio. cf. etiam supra p. 41.

2) Ita loqui consuevimus. Observandum est tamen disputationes I, V, de ente absoluto, atque VII, IX, de non-ente absoluto contradictiones sensu proprio non proponere sed plenam negationem omnis cognitionis et omnium praedicatorum. Disputationes II, IV, VI, VIII de ente atque non-ente relativo contradictiones exponunt quae etiam in Sophista tractantur.

3) Octava tamen quodammodo ad non-ens absolutum pertinet medium quendam locum obtinens. Cum enim concludi expectaveris cetera et unum et multa esse, concludit Plato contraria illa videri. Sequenti deinde disputatione concluditur cetera ne videri quidem. Unde Zellerus (Plat. Stud. 178) has disputationes „den kosmologischen Beweis“ appellat. Ceterum noli credere me prorsus a Zelleri ratione abhorrere. Explicationem magis exactam requiro. Concedo unitatis negationem Platoni difficiliorem visam esse quam ejus positionem. Sed hoc inde ita evenisse judico quod ens absolutum extra temporis atque spatii fines relegavit, non-ens absolutum hoc modo explicare non potuit. Idem concedo idearum doctrinam in posteriore Parmenidis parte defendi, sed ita tantum ut repugnantiae in ipsis ideis existentes explicentur, non ut difficultates de idearum et rerum communione in priore dialogi parte motae diluantur. cf. supra p. 44 n. 4.

Digitized by Google

ratiocinatio non ab unitatis notione pendet, sed a notionibus τοῦ εἶναι et μὴ εἶναι aut absolute aut relative positis. Quod cum ex universa ipsius disputationis ratione tum ex illo quasi prooemio (135 E — 137 C) perspicuum est. Ibi enim propositum est, nulla etiamtunc τοῦ ἑνός mentione injecta, μὴ μόνον εἰ ἔστιν ἕκαστον ὑποτιθέμενον σκοπεῖν τὰ ξυμβάντα . . . ἀλλὰ καὶ εἰ μὴ ἔστιν. Ubi vero amicorum precibus adductus Parmenides hoc negotium suscipit, tum demum hanc hypothesin perquam negligenter deligit ita ut cuivis appareat haud multum referre, quae hypothesis ejusmodi disputationi subjecta sit (137 B). Unitatis quidem notionem ad tales conclusiunculas per ambiguitatem vocis εἶναι nectendas imprimis aptam esse non nego[1]). Quamlibet tamen notionem generaliorem ad hanc exercitationem sufficere haud obscure a Platone innuitur, et inde patet quod in loco Theaeteti (181 — 183 C)[2]) similes entis absoluti repugnantiae e notione κινήσεως repetuntur[3]). Nam sicut in prima Parmenidis disputatione unitatis notio ita ponitur, ut ceteras notiones omnes excludat, eodem prorsus modo notio motus absoluti in loco Theaeteti ita sumitur, ut nullam cum aliis notionibus conjunctionem admittat. In utroque loco colligitur ex tali hypothesi omnino verba proferre non licere (183 B, cf. Parmen 142 οὐδ᾽ ὀνομάζεται οὐδὲ λέγεται κτλ.).

Utut haec se habent, sive in Parmenide rem plane absolvisse sibi visus est Plato, sive illustri aliquo exemplo docuisse ejusmodi disputationes perquam esse futiles atque nugaces, sive denique censuit repugnantias quae formula τοῦ ἓν καὶ πολλὰ continentur nihil esse nisi logicum πάθος τῶν λόγων ἐν ἡμῖν, sive ut metaphoram[4]) a Zellero mutuer, multiplicem quandam quasi refractionem idearum in mundo adspectabili radiorum, has contradictiones non ultra[5]) persecutus est, sed crassis et manifestis sophistarum[6]) cavillationibus in Euthydemo admirabili vi comica delusis in ceteris dialogis satis habuit tales controversias ἔξω

1) Scilicet: λέγεται δὲ ἰσαχῶς τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν. Ar. Met. IX 2.

2) Negotio contra flagitiosos illos ῥέοντας declamandi supersedeo.

3) Scilicet: κινήσεως . . . . τοσαῦτ᾽ εἴδη ὅσα τοῦ ὄντος Ar. Met. X 9.

4) Est quidem illud, fateor, „ῥῆμα παρακεκινδυνευμένον".

5) Cave vocem ultra de temporum ordine dictam putes lector benevole.

6) Cf. supra p. 7 n. 1.

Digitized by Google

τοῦ λόγου ablegare, aut per cavillatorum acerbam notationem [1]) aut per καλλίονος ὁδοῦ sumptionem [2]) aut denique per hypothesin universae disputationi substratam. [3]) Manebat tamen semper illa de errore quaestio, quam per totum hunc libellum saepius docui cum quaestione de cognitionis ortu artissime cohaerere nec via et ratione mere logica plene dissolvi posse. Nam argumenta, quibus nititur cavillatio illa, sicuti alia argumenta fallacia ratione mere logica (ἐλεγκτικῶς) redarguas, rem ipsam non explanes nisi certam aliquam sententiam de cognitionis indole sumpseris.

Ac supra quidem vidimus doctrinam ἀναμνήσεως in Menone quasi machinam quandam (μηχανήν) fuisse ad hanc difficultatem devitandam. Vidimus etiam quaestionem psychologicam in Theaeteto frustra agitari. Restat ut explicationem in Sophista propositam penitius inspiciamus. Duo erant argumenta quibus errorem esse omnino negabant Sophistae: argumentum τοῦ μὴ ὄντος, [4]) et argumentum quod duabus vocis εἰδέναι significationibus nititur. Haec argumenta diserte distinguit Plato in Theaeteto 188 C. Post duas tamen paginas (188 C—191 A) inves-

---

1) Sophist. 259 D, Theaetet. 154 D, 164 D, 165 B; Politicus 306 A in quaestione ethica; Phaedo. 90 C. Phileb. 15 D E ubi non agitur de τοῖς δεδημευμένοις quae in loco 14 E absolvuntur; Lysis 216 A, De repub. 499 A, 538—9.

2) Phileb. 16 C. Cum formula θεῶν δόσις cf. Phaedr. 266 B.

3) Cratyl. 430 D sqq. Phaedo 100 B, 103 C. Praecipuus tamen de hac re locus legitur De repub. 436—437 B. Eodem modo ad repugnantias Parmenidis respicit locus permirus Timaei 38 B. (cf. Parmen. 162 A: δεῖ ἄρα αὐτὸ δεσμὸν ἔχειν τοῦ μὴ εἶναι τὸ εἶναι μὴ ὄν.) Quem Timaei locum nimium premit Peipersius (op. cit. p. 7) censens Platonem copulae vim voci εἶναι prorsus abjudicare. Contrarium verum esse rectius dixeris. Nam verba ὧν οὐδὲν ἀκριβὲς λέγομεν potius significant nos vel vulgus varias τοῦ εἶναι significationes confundere. Quas significationes in Sophista et Parmenide persecutus erat atque exemplis illustraverat, quare hoc loco addit: περὶ μὲν οὖν τούτων τάχ' ἂν οὐκ εἴη καιρὸς πρέπων ἐν τῷ παρόντι διακριβολογεῖσθαι. Haec sane omnia Peipersio ut ex ejus libro colligo bene nota erant, sed perversa ratio, qua Parmenidem Sophistam Politicum post Rempublicam et Timaeum ponit et in universum ontologiam Platonicam in duas diffindit partes, viro egregio fraudi fuit. Huc accedit quod liber non uno scriptus impetu diversas de dialogorum ordine opiniones refert. cf. Praefat. VIII n. 1; p. 196, p. 466 sqq.

4) Cf. etiam Cratyl. sub fin., et Euthydem. p. 284 sqq.

Digitized by Google

tigatione κατὰ τὸ εἶναι καὶ μὴ relicta, viam κατὰ τὸ εἰδέναι καὶ μὴ init. Sed argumentum κατὰ τὸ εἰδέναι καὶ μή, ut saepius diximus, quaestionem psychologicam de cognitione non movere non potest. Quare in Theaeteto problema non est resolutum.

In Sophista igitur investigationem erroris κατὰ τὸ εἶναι καὶ μή rursus aggreditur. Et primum quidem omnia prospere procedunt. Etenim difficultatem cui in Theaeteto succubuit[1]) in Sophista facile depellit, βιαζόμενος τὸ μὴ ὂν εἶναι πῶς. Quo facto rationes eorum, qui errorem omnino tollunt, facili opera convellit. Sed aliud est unum aliquod sophisma de errore refutare, aliud εἰπεῖν τί ποτ' ἐστί τοῦτο τὸ πάθος παρ' ἡμῖν καὶ τίνα τρόπον ἐγγιγνόμενον (Theaetet 187 D). Illud nihil nisi logicam requirit, hoc certam aliquam de cognitione doctrinam et de veritatis quasi obrussa „unde omnia credita pendent". Illud doctrina τοῦ θατέρου plene absolvit Plato; hoc ut praestaret coactus est tecte sumere rerum sensilium perceptionem cognitionem esse veram. Nam ut erroris indolem exponat, primum demonstrat, sicut idearum, ita verborum alias conjunctiones fieri posse alias non posse. Ψευδὴς λόγος igitur verborum prava conjunctio est qua τὰ μὴ ὄντ' ὡς ὄντα ponuntur. Recte ille quidem. Sed quod est veritatis indicium atque nota? Concessimus τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα λέγεσθαι posse; cavillationes logicae omnes amotae sunt; libenter confitemur πολλὰ μὲν ὄντα περὶ ἕκαστον εἶναί που, πολλὰ δὲ οὐκ ὄντα. At quo tandem modo haec ὄντα et μὴ ὄντα inter se dignoscere possumus? Ad hanc quaestionem Plato diserte non respondet. Exemplum tamen, quod proponit, sumit veritatis iudicium a rerum sensilium perceptione pendere.[2]) Exemplum enim erroris est: Θεαίτητος ᾧ νῦν ἐγὼ διαλέγομαι πέτεται, Hoc falsum esse pronuntiat, quia τὰ μὴ ὄντα λέγει. Eodem prorsus modo in loco Theaeteti (201 B C) tecte sumit rerum sensilium perceptionem ἐπιστήμην esse; opiniones autem quae cum ea concinant veras esse. Neque haec obiter dicta, sed ejus loci ratiocinatio hac sumptione veluti in cardine vertitur. Quibus

---

1) Noli credere, lector benevole, me ita desipere, ut inde concludam Platonem interea meliora didicisse. cf. Susemihl. p. 297: „Es ist dies ein bemerkenswerther Fortschritt gegen den Kratylos und Theätetos." cf. quae supra de Menonis sophismate disputavimus p. 16.

2) Idem sed parum perspicaciter dicit Bonitzius (Plat. Stud. 2. Aufl. p. 197 sqq.) in quo refutando nimius est Peipersius (op. cit. p. 187 sqq.).

Digitized by Google

cum locis comparandus est locus nobilis Sophistae (p. 234 D), ubi cognitiones quas in vita διὰ παθημάτων adipiscimur, ut verae opponuntur falsis istis opinionibus, quibus juvenes a sophistis imbuti sumus.[1]) Haec non ideo affero, ut inde concludam Platonem rerum sensilium perceptionem pro vera cognitione habuisse, sed ut demonstrem difficultati ontologicae de idearum cum rebus (τοῖς παρ' ἡμῖν) communione, quae philosophum non fefellit, alteram magis absconditam difficultatem psychologicam respondere, quae in eo cernitur quod veritate sensibus omnino abjudicata in multis tamen locis judicium veritatis ad sensus tecte defertur. Scilicet nulla erat temporibus illis psychologia scientifica. Itaque quemadmodum Protagorae atque Heracliti asseclae rerum sensilium perceptione (αἰσθήσει) posita notiones explanare non potuerunt ideoque omnino negabant,[2]) ita Plato cum notionibus sumptis nullam αἰσθήσεων rationem idoneam reddere posset, saepe eo redactus est ut eas omnino tollere conaretur. Hoc vero interest, quod notiones aliquatenus negari possunt, αἰσθήσεις verbis tollere licet, re neutiquam. Etenim qui rebus sensilibus veritatem abjudicaverit, de omnibus tamen rebus eodem fere modo disputabit ac si fidem sensibus[3]) non abrogasset. At qui notiones tollit, raro definitiones ponit nec methodum logicam quaerit. Itaque e Platonis philosophia orta est ea qua adhuc utimur ars logica; commenta Heracliti sterilia atque infructuosa et fuerunt et semper manebunt[4]).

Jam vero in fine hujus disputationis pauca disserere visum est primum de idearum principatus atque dignitatis ordine serieque, deinde de idearum cognitione atque de methodo illa, quam ut vere dialecticam et philosopham Plato laudibus effert mysticis. Et primum quidem, si doctrinam idearum e quaestionibus logicis originem duxisse reputaveris, apparet idearum inter se ordinem et

1) Huc pertinent etiam Sophist. 267 A B, Theaetet. 209 C, Menon. 97 B.

2) Quod Groteus (II 325 sqq.) ipsum Protagoram censet scientificam relativismi (sit venia verbo) vel adeo idealismi doctrinam elaborasse, hoc nullo modo demonstrari potest, neque omnino verisimile est. cf. Carolum Prantl op. cit. p. 12 sqq. quem Groteus (II 361 n.) non intellexit.

3) Haud ignoro hanc loquendi formulam minime philosopham esse, sed in tanta linguae latinae egestate talia nimis premere iniqui lectoris erit.

4) Cf. festivum Theaeteti locum pp. 179—183.

Digitized by Google

conjunctionem eandem esse atque notionum vel verborum generalium. Ideae extra temporis atque spatii fines per se spectatae omnes pari jure atque dignitate erunt. In hac autem vita omnis idea causa erit rerum cognominum [1]) et quodammodo videbitur causa esse adeo earum idearum, quae in rebus illis arte dialectica deprehenduntur. Verba igitur vel notiones latissime patentes (τὰ μέγιστα γένη Soph. 254 C), utpote quae plurimarum rerum causae sint, causae κατ' ἐξοχήν esse videbuntur. Cum tamen τὰ μέγιστα γένη ejusdem fere ambitus sint, [2]) nulla erit causa unica et prima.

Verum tamen ex eo, quod idearum παρουσία omnium rerum causa praedicatur, duae proveniunt doctrinae diversae prout aut ideas aut παρουσίαν praecipue spectamus. Etenim si ideae sponte atque vi innata se ipsae rebus imprimunt [3]), alia causa nihil opus erit. Sin minus, causa τῆς παρουσίας vera atque unica causa erit, ideae accuratius loquentibus causae non erunt. Hanc potissimum Platonis sententiam fuisse satis constat. Causae autem illius partes in Timaeo suscipit Demiurgus ille, qui ad ideas respiciens mundum atque animam mundi creat. In Philebo τὸ τῆς αἰτίας γένος respondet Timaei Demiurgo, animae mundi νοῦς βασιλεύς [4]). Ceterum Platonis in hac re inconstantiam satis declarat locus reipublicae (X. 596—597), ubi Demiurgum illum atque animam mundi confundit dicens eum se ipsum creasse (τά τε ἄλλα καὶ ἑαυτόν). Postea vero eundem appellat Deum atque creantem facit ideas, quae in Timaeo aliisque in dialogis aeternae sunt. Utut haec se habent, causa illa prima atque praecipua, quidquid est, bona est, et quoad per necessitatis leges licuit, omnia bene ordinavit. Hoc negare impietatis esset. (ὃ μηδ' εἰπεῖν τινὶ θέμις Timaeus 29 A).

Inde efficitur ut, cum de causis agatur, idea boni princi-

---

1) Cf. supra p. 13.

2) Cf. supra p. 50 n. 1. 3.

3) Loci Timaei 50 C, 52 D—53 A aliquam Platonis inconstantiam in hac re declarant.

4) Parum accurate versantur qui τὸν νοῦν βασιλέα Demiurgo illi respondere censent. cf. 30 D: οὐκοῦν ἐν μὲν τῇ τοῦ Διὸς ἐρεῖς φύσει βασιλικὸν μὲν ψυχήν, βασιλικὸν δὲ νοῦν ἐγγίγνεσθαι διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν. Unde satis liquet illam ψυχὴν βασιλικόν animae mundi respondere.

Digitized by Google

patum obtinere videatur. Etenim si rem subtilius consideramus, ipse Demiurgus παρουσίᾳ ideae boni bonus fit. Quod si concesserimus, Demiurgum et ideam boni inter se distingere haud mediocris operis erit[1]). Etenim si non sunt idem, eorum conjunctio aliam causam desiderat. Jam vero ipsa ideae boni vis, quoad quidem definiri potest, in rerum cum ideis communione praecipue cernitur. Nam idea boni pulchritudine, symmetria, veritate adumbratur (ὑποτυπυῦται)[2]). At ea demum pulchra sunt, quae ad idearum similitudinem creentur[3]), ea demum bene ordinata quibus ideae imprimantur[4]), ea demum vera quae ad idearum cognitionem pertineant[5]). Hoc modo omnis idearum vis causalis ad unam boni ideam defertur, quae Demiurgo omnia bona facturo causa agendi fuit, rebus autem quibus ideae sunt impressae causa idearum παρουσίας. Porro cum res sola idearum παρουσίᾳ esse et existere dicantur (ἀντέχονται τῆς οὐσίας ἀμωσγέπως) et sola idearum παρουσίᾳ veram cognitionem admittant, idea boni rebus non solum bonitatis, sed etiam existentiae atque cognitionis causa esse videtur. Hinc mysticae illae laudes, in quibus explicandis tantum sudant commentatores (De Repub. 508 E — 509 B). Quid igitur? his explicatis estne quod amplius anquiramus quid sit idea boni, ecquid eadem Deus sit necne? An demonstravimus ejusmodi disputationes prorsus vanas atque supervacaneas esse? Qui ideam boni Deum esse non vult, locum reipublicae (p. 508 B) ubi philosophus solem τὸν τοῦ ἀγαθοῦ ἔκγονον ὃν τἀγαθὸν ἐγέννησεν ἀνάλογον ἑαυτῷ appellat tamquam mythicum repudiet et Timaei Demiurgum potius amplectatur. Qui secus sentit, Demiurgum cum Aristotele neglegat vel cum Boeckhio[6]) pro scribendi artificio habeat.

---

1) Justo confidentius in quaestione mythica loquitur Peipersius. „Deum Platonis ab idea boni non diversam esse, post ea quae Bonitz Brandis Susemihl, Ribbing, Strumpf, Zeller disputaverunt satis constare arbitror“ (op. l. p. 292).

2) Phileb. 64 E.

3) Timaeus 28 A.

4) Timaeus 53 B.

5) De hac re decantata omnia.

4) Kos. Syst. v. Plat. 1852, p. 16: „dieser Anthropomorphismus dient meiner Ansicht nach .... der Plasticität der Darstellung.“

Digitized by Google

Utramvis inieris rationem, copia argumentorum subtilium quibus eam defendas non deerit. Nos vero aliud agimus [1]).

Quamvis enim jam ad metam properemus, pauca tamen de idearum cognitione disputare placet atque de illa methodo dialectica, cujus causa Plato tot et tam impeditas quaestiones metaphysicas investigandas suscepit.

Cognitionis plenam explanationem a Platone non inventam esse jam saepius diximus. Cognitionem et scientiam per notiones cognitioni rerum sensilium eum anteposuisse satis constat. Ceteras cognitiones modo necessarias [2]) quidem sed tamen secundarias esse dicit, modo cognitiones omnino esse negat. Jam considerandum est, quomodo ad idearum cognitionem perveniamus. Et quidem in dialectica philosophiae parte saepe, ut supra vidimus, Plato coactus est sumere rerum sensilium cognitionem veram efficere scientiam. Quam tamen doctrinam disertis verbis numquam probavit, sed semper omnem veritatem cognitione idearum contineri adfirmavit. Ideas autem dixit aut a prima mundi origine animis nostris impressas esse [3]) aut per visionem intellegibilem in priore vita nobis innotuisse. Sed haec omnia ad psychologicam de cognitionis inceptione difficultatem luendam exprompta sunt. Nam quod ad hanc vitam attinet, ideae cognoscuntur non per visionem quandam intellegibilem mysticamque, sed per dialecticam exercitationem quae a rebus sensilibus profecta per omnes gradus ad notiones maxime generales sensim progreditur. Quapropter philosophos ita instituendos esse docet, ut eos ab ideis et a disputationibus dialecticis incipere non sinat, sed primum rerum sensilium atque communis hominum vitae experientia notitiam copiosam sibi comparare cogat, deinde ad disciplinas mathematicas ducat, denique post multos demum annos ad dialecticam admittat, quae ad idearum cognitionem et ipsius boni quasi fores (ἐπὶ τοῖς τοῦ ἀγαθοῦ προθύροις) eos perducit. Quae in extrema parte hujus loci de ipsa idearum cognitione adumbrantur sunt, fateor, submystica et multos in errorem induxerunt. Revera tamen

---

1) οὐ προσήκει δὲ τὰ νῦν τὴν οὐσίαν ζητεῖσθαι τοῦ Διός. Scholiast. ad Arati Phaenom. I.

2) Phileb. 62 B, Meno 97 A, de Repub. 519 D, Tim. 69 A.

3) Tim. 37 A, 41 D.

Digitized by Google

visionem mysticam non significari apparebit ei qui haec secum reputaverit.

Quidquid de notionibus ipsis sentis, notionum cognitio dialectica paucis verbis plene describi non potest. Nam cognitionem unius alicujus notionis nonnisi per definitionem exprimas; definitione autem ambitum notionis ita tantum perspicue describas, si omnia e quibus constat verba rursus accurate definiveris. Res igitur in infinitum abibit[1]); unde notionum generaliorum definitio merito semper periculosa habita est. Quare quamcunque de notionibus doctrinam amplectaris, virum philosophum vel dialecticum, sive virum qui omnes notiones perspectas atque cognitas habeat vix aliter depingas quam si eum dicas omnium rerum rationem reddere posse sive bene διαλέγεσθαι posse.

Nempe habet ille eam mentis ἕξιν, qua in omni re ad investigandum proposita ἰδέαι ἐνοῦσαι[2]) deprehendantur; is demum poterit εἰς ἓν καὶ ἐπὶ πολλὰ βλέπειν, dividere κατ' ἄρθρα ᾗ πέφυκεν, varias vocum significationes internoscere, definitiones si non plenas at saltem idoneas ad hypothesin argumentationi substernendam expromere. Qui vero notiones vere τὰ ὄντα esse cum Platone dixerit, addet dialecticum virum τὰ ὄντα videre, ceteros nonnisi τὰ εἴδωλα videre. At tamen Plato ipse fatetur hoc nihil esse nisi imaginem quandam (εἰκόνα)[3]), qua eum demum, qui haec possit, verum philosophum esse atque artem dialecticam plene possidere significetur.

Quae igitur est illa Platonis methodus dialectica? Estne definitionis indagatio per divisionem κατὰ διχοτομίαν, vel per Socraticam inductionem? Estne ratio illa disputandi ἐξ ὑποθέσεως τοῦ εἶναι καὶ μὴ εἶναι? Estne deductio omnium rerum ex idea per visionem intellegibilem τοῦ ὄντος cognita? Minime. Nam haec omnia atque adeo totam illam Aristotelis artem syllogisticam Plato quidem, nescio an jure suo, τὰ κομψὰ τῆς τέχνης[4])

1) Cf. Carolum Prantl. de logices definitione op. cit p. 2.

2) Tim. 39 E ᾗπερ οὖν νοῦς ἐνούσας ἰδέας τῷ ὃ ἔστι ζῷον κτλ. Cf. Phileb. 16 C sqq. εὑρήσειν γὰρ ἐνοῦσαν.

3) De repub. 532—533 A.

4) Phaedo 266 D. Haud ignarus sum ipsi Aristoteli organum quod dicunt ἐπιστήμην θεωρητικήν fuisse (cf. Carolum Prantl op. l.). Sed non prorsus sine Aristotelis culpa evenisse puto, ut ubicunque studia Aristotelica floruerint τὰ κομψὰ ταῦτα principatum obtinuerint.

Digitized by Google

appellaturus fuisset. Nam leges illae syllogisticae et omnes verborum accuratae definitiones memoriae veluti armorum dialecticorum receptaculo mandatae nihil sunt nisi disputandi instrumenta atque adjutamenta. Is demum errorem dialecticum evitare potest, qui notionibus inter se conjungendis disiungendisque ita se exercuerit, ut nunquam inter disputandum aut ipse insciens aut adversarius ipsum latens eidem vocabulo diversas significationes assignet. Licet enim omnia linguae graecae verba inter se definiveris et definitiones edidiceris, fieri tamen potest ut in adversarium incidas qui alio modo idem fecerit. Inde nisi a definitionibus ejus profectus cum eo disputare poteris (nam de verbis quidem quibus veluti tesseris notionum ambitus insigniuntur non est disputandum)[1]) Plato te νοῦν ἔχειν negabit.

Itaque hoc veluti proprium Platonis ponere licet, quod Aristoteli dissimilis definitiones plenas omnino fugit, definitiones autem minus exactas nonnisi ad certam aliquam quaestionem profligandam proponit. Probe enim scit omnem definitionem plenam necessarie ambiguam atque periculosam esse, definitionem autem minus exactam semper hypothesin dare, qua disputatio niti possit. Quapropter ideam boni, cujus cognitionem τοῖς φύλαξι tribuit, non definit, sed satis habet dicere eos talem ἕξιν habere, vel tantam omnium idearum cognitionem, ut doctrinas ethicas quas ad civitatem bene regendam necessarias ducit, contra omnes Thrasymachos defendere possint[2]). Verum is demum illam definitionem hypotheticam, qua in quaque disputatione opus erit, semper in promptu habebit, qui definitionem plenam cognitam habeat. Hanc plenam notionis cognitionem δι' εἰκόνος describit tamquam τοῦ ὄντος θεωρίαν, revera dicit ἕξιν illam dialecticam.

Hujus ἕξεως perfectissimum exemplum praebet ipse Plato, cui soli omnium qui unquam fuerunt philosophorum contigit nunquam errare.[3]) Nam quemadmodum Socratem daemonium illud a nocituris atque evitandis cohibuisse fertur, ita Platonem ingenium praesagum quasi divinatione aliqua admonuisse videtur, quibus in rebus per aetatis illius rationes aliquid pro

1) Charmides 163 D.

2) De repub. 506 A.

3) Haec nimio fortasse erga Platonem studio atque amore dixi, ut lectori qui praecedentia neglexerit λαβήν dem.

Digitized by Google

certo adfirmari posset, quibus in rebus nonnisi per mythos et simulacra opiniones suas adumbrare liceret. Itaque cum Aristoteles absurda et adeo monstrosa [1]) saepe pro certis atque exploratis serio expromat, Plato quasi ludens subtillisimas recentiorum philologorum doctrinas praesensit [2]), per mythos et fabulas [3]) occultissima nostrorum physicorum placita aperuit. [4]) Ejus libri non continent inania verborum discrimina atque definitiones Prodiceas, quae quamvis non intellectae vanam scientiae speciem praebere possint, sed lectorem sicuti viva praeceptoris vox mentem cogitando intendere cogunt. Quapropter λαβόντες ψυχὴν προσήκουσαν φυτεύουσιν καὶ σπείρουσι μετ' ἐπιστήμης λόγους: sunt enim ἔπεα φωνᾶντα συνετοῖσι.

Praeclarus ille Stagirita semper eorum qui sciunt [5]) magnus atque venerandus magister habebitur; Plato poeta [6]) et dialecticus idem philosophorum philosophus [7]) manebit, perfectissimum atque nunquam assequendum exemplar eis qui cogitant propositum.

---

1) Cf. Teichmüllerus op. cit. p. 300 sqq.

2) Cf. Cratyl 397 A B, 409 E, 414 C, 416 C, 422 A—C, 426 C, 435 B.

3) Teichmüllerus cui in aliis non assentior multa habet de mythis Platonicis quae probo, op. cit. p. 207 sq. Cf. Renan: Rien de plus bizarre que de voir prise au sérieux et analysée comme un traité technique cette curieuse fantaisie de l'esprit grecque. (libri de republica).

4) Quod spatium atque materiam non distinguit. Cf. Tim. 48 A sqq.

5) Veniam mihi dent Ciceroniani verba Dantis minus latine exprimenti: il maestro di color che sanno.

6) Aristoteles Poetic. 1451 ^{b6} καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν. De Platone poeta atque dialectico bene Auffarthius l. l. p. 4—6.

7) Cf. Emerson Representative Men. I.

Kgl. Hof- und Univerſitäts-Buchdruckerei von Dr. C. Wolf & Sohn in München.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF CHICAGO
17 600 161

PA
4291
.S6
Shorey 928904
De Platonis Idearum Doctrina

Mr 16 '31M
FLOOR 1M
Oct 21 '36 P. S. Costas
7-3-51 John F. Latimer
R

928904

Digitized by Google

Bei **Theodor Ackermann**, k.
sind ferner erschienen

Biedermann, Georg, Lateiniſches Elementarbuch für die erſte Klaſſe der Lateinſchule Vierte Aufl. (VI und 136 S.) gr. 8⁰ 1883 . . . . 1 M. 60 Pf.
Die erſte Auflage erſchien 1875, die zweite 1877, die dritte 1880.

— — Lateiniſches Uebungsbuch für die zweite Klaſſe der Lateinſchule. Zweite Aufl. (V u. 179 S.) gr. 8⁰. 1880 . . . . 1 M. 60 Pf.

Frantz, Johann, Die Kriege der Scipionen in Spanien 536—548 A. U. C (VI u. 77 S.) gr. 8⁰. 1883 . . . . 1 M. 60 Pf.

Hartung, Carl, Lateinische Sentenzen, gesammelt und geordnet. Sententiarum liber. Collegit et disposuit Carolus Hartung. (X u. 245 S.) 8⁰. 1872. 2 M. 40 Pf.

Hübschmann, H., Ein Zoroastrisches Lied (Capitel 30 des Jasna) mit Rücksicht auf die Tradition übersetzt und erklärt. Nebst einem Anhang. (86 S.) gr. 8⁰. 1872 . . . . 2 M.

— — Zur Casuslehre. (VIII u. 339 S.) gr. 8⁰ 1875 . . . . 6 M. 80 Pf.

Jolly, Julius, Ein Kapitel vergleichender Syntax. Der Conjunctiv und Optativ und die Nebensätze im Zend und Altpersischen im Vergleich mit dem Sanskrit und Griechischen. (IV u. 127 S.) gr. 8⁰. 1872. 2 M. 40 Pf.

— — Geschichte des Infinitivs im Indogermanischen. (XV u. 287 S.) gr. 8⁰ 1873 . . . . 6 M.

— — Schulgrammatik und Sprachwissenschaft. Studien über die Neugestaltung des grammatischen Unterrichts nach den Ergebnissen und der Methode der vergleichenden Sprachwissenschaft. (VIII u. 92 S.) gr. 8⁰ 1874 . . . . 1 M. 60. Pf.

Leonhard, R., De codicibus Tibullianis capita tria. (65 S.) gr. 8⁰ 1882. 1 M. 40 Pf.

Menſch, H., Engliſche und franzöſiſche Verslehre. Ein Leitfaden für höhere Schulen und Studirende. (64 S.) 8⁰. 1870 . . . . 50 Pf.

— — Stufenmässige Anleitung in Sprech- und Schreibübungen in der englischen Sprache für Schulen und den Selbstunterricht. (VIII u. 223 S.) 8⁰. 1872 . . . . 2 M.

Myriantheus, L., Die Marschlieder des griechischen Drama. (VII u. 141 S.) gr. 8⁰. mit 1 Steintafel in 4⁰. . . . . 2 M. 80 Pf.

— — Die Açvins oder arischen Dioskuren. (XXXII u. 187 S.) gr. 8⁰. 1876. 3 M. 60 Pf.

Oberhummer, Eugen, Phönizier in Akarnanien. Untersuchungen zur phönizischen Kolonial- und Handels-Geschichte. Mit besonderer Rücksicht auf das westliche Griechenland. (84 S.) 8⁰. 1882 . 1 M. 80 Pf.

Recueil de gallicismes, germanismes et locutions des langues française et allemande. Sammlung von Gallicismen, Germanismen und Redensarten der franzöſiſchen und deutſchen Sprache. (IV u. 258 S.) 8⁰. 1870. 2 M.

Sittl, Dr. Karl, Geschichte der griechischen Literatur bis auf Alexander den Grossen. I. Teil. (360 S.) lex. 8⁰. 1884 . . . . 4 M. 80

— — Die Wiederholungen in der Odyssee. Ein Beitrag zur homerischen Frage. Gekrönte Preisschrift. (192 S.) gr. 8⁰ 1882 . . . . . . 4 M.

Wagler, Fr. Ad., Kleines historisch-geographisches Lexikon. Zum Schul- und Privatgebrauch. (IV u. 87 S.) 8⁰. 1873 . . . . 80 Pf.

Whitney-Jolly, Die Sprachwissenschaft. W. D. Whitney's Vorlesungen über die Principien der vergleichenden Sprachforschung für das deutsche Publikum bearbeitet und erweitert von Julius Jolly. (XXIX u. 713 S.) gr. 8⁰. 1874 . . . . 10 M.

Kgl. Hof- und Universitäts-Buchdruckerei von Dr. C. Wolf & Sohn.

U of Chicago
17600161
Digitized by Google